

FONTES HISTORIAE MARIANORUM

6

S. PAPCZYŃSKI

ORATOR CRUCIFIXUS

ORATOR CRUCIFIXUS
sive
ULTIMA SEPTEM VERBA
Domini Nostri Iesu Christi

INSTITUTUM HISTORICUM MARIANORUM

FONTES HISTORIAE MARIANORUM

6

1. *Odrodzenie Zgromadzenia Księży Marianów*, Warszawa 1995
2. *Stolica Apostolska a biskup Jerzy Matulewicz*, Warszawa 1996
3. *Wspomnienia o błogosł. Jerzym Matulewiczu*, Warszawa 1996
4. *Užrašai*, Aidai 1998
5. *Templum Dei Mysticum*, Varsaviae 1998
6. *Orator Crucifixus sive Ultima Septem Verba Domini Nostri Iesu Christi*, Varsaviae 1998

ORATOR CRUCIFIXUS
sive
ULTIMA SEPTEM VERBA
Domini Nostri Iesu Christi

Totidem piis discursibus exposita
Per R.P. Ioannem Papczyński
Presbyterum Polonum

Edidit

Casimirus Krzyżanowski MIC

Varsaviae 1998

© by Institutum Historicum Marianorum, Warszawa 1998

Compositio et graphica expressio

Casimirus Krzyzanowski MIC

Consultatio et correctio

Jan Bukowicz MIC

Mariański Instytut Historyczny

ul. H. Dembińskiego 2, 01-644 Warszawa

Prooemium

In hoc volumine praesentatur editio critica operis *Orator Crucifixus* (*OC*). Est unum e scriptis asceticis a Patre Stanislao a Iesu Maria Papczyński in lingua latina exaratis.

A. Auctor

In frontispicio *OC* uti auctor huius operis indicatur “P. Ioannes Papczyński, Presbyter Polonus”. Ante omnia proinde necesse est probare quod Ioannes Papczyński est eadem persona ac Stanislaus a Iesu Maria Papczyński, quia sub hoc nomine (religioso) et sub hoc cognomine is fuit et est notus tum uti sodalis Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum (1654-1670) tum uti sodalis Congregationis Immaculatae Conceptionis Clericorum Marianorum (1673-1701) quam anno 1673 fundavit, necnon uti auctor omnium aliorum operum¹.

Auctorem *OC* - Ioannem Papczyński esse idem ac Stanislaum a Iesu Maria Papczyński probatur:

a) ex Dedicacione huius libri, ubi legitur: “Author ipse horum Piorum Sermonum, pientissimo Tuae Celsitudinis [Andreae Trzebicki, Episcopi Cracoviensis] patrocinio gloriatus”, quia notum est quod P. Stanislaus Papczyński versus finem anni 1669 se iurisdictioni Ordinarii Cracoviensis, Ep. Andreae Trzebicki, submitit² et sub tali “patrocinio” per totum annum 1670 (et ultra) mansit³;

b) ex tota traditione Ordinis Marianorum, prout hoc demonstratum est tempore Processus Posnaniensis Servi Dei Stanislai Papczyński, nam:

¹ Cf. *Positio*, pp. 572-608. Aliqua opera eum uti auctorem sine cognomine ostendunt.

² Cf. *ibid.*, pp. 153-154. 206. 260, n. 19.

³ Cf. *ibid.*, pp. 153-233.

- anno 1769 Archivista huius Ordinis librum *OC* iudicialiter exhibuit uti a Servo Dei Stanislao a J.M. Papczyński exaratum⁴;

- in Registro “Librorum et Documentorum Romam Missorum Anno 1773” agitur de libris a Servo Dei Stanislao Papczyński exaratis et inter hos libros sub n. 45 *OC* invenitur⁵;

- in Decreto “super examine, revisione, et approbatione Operum typis editorum, et Manuscriptorum Servi Dei [Stanislai Papczyński]” Romae anno 1775 a S. Congregatione Rituum dato inter opera Servi Dei Stanislai typis edita sub n. 38 *OC* invenitur⁶.

Cur autem auctor *OC* anno 1670 ad suum nomen baptesimale reversus est idque hoc anno adhibuit?

Notandum est quod in documento die 28 octobris 1670 a Suffraganeo Cracoviensi Ep. Nicolao Oborski dato is antea sibi notum sodalem Instituti Scholarum Piarum, P. Stanislaum Papczyński, prima vice nominat “Patrem Joannem Papczyński Dyaecesis nostrae Cracoviensis Presbyterum”⁷, evidenter credendo quod p. Papczyński ob declarationem pontificiam die 5 augusti 1670 datam iam ex Instituto Scholarum Piarum dimissus fuerit⁸.

Credimus quod ob simile erroneum iudicium p. Papczyński anno 1670, tempore quo *OC* typis edendum praeparabat, nomen religiosum in Instituto Scholarum Piarum assumptum (Stanislaus a Iesu Maria) reliquit et uti sacerdos dioecesanus se cum nomine baptesimali (Ioannes) etiam uti auctor huius operis praesentavit.

⁴ Cf. P.P., f. 365r: “Item dictus Pater Archivista exhibuit... librum typo impressum... per Ven. Servum Dei [Stanislaum] tunc adhuc nomen Joannis portantem... anno 1670 editum, cui titulus est talis: *Orator Crucifixus sive ultima septem verba Domini Nostri Jesu Christi... per Rev.dum P. Joannem Papczyński Presbyterum Polonum...etc...*”

⁵ Cf. *Positio*, p. 793, no. 146.

⁶ Cf. *ibid.*, p. 793, no. 147.

⁷ *Positio*, p. 206. Eodem anno P. Papczyński ad nomen “Stanislaus a I.M.” revertit idque etiam post dimissionem e Scholis Piis (11 dec. 1670) retinuit.

⁸ Cf. *ibid.*, pp. 189-190. 206-207.

B. Origo operis et tempus compositionis

Videtur quod *OC* originem habuit uti collectio sermonum quadragesimalium. Probabiliter iam anno 1668 P. Papczyński hos sermones praeparavit eosque tempore Quadragesimae praedicavit. Notum est nobis quod hos sermones etiam typis dare voluit et a P. Generali facultatem pro hoc libro edendo - probabiliter annis 1668-1669 - ter petiit, sed ab eo nec responsum accepit⁹.

Anno 1670, iam huius facultatis non amplius egens (utpote tunc iurisdictioni Ordinarii Cracoviensis subiectus), P. Papczyński facultate Censoris librorum dioecesis Cracoviensis hunc librum edidit¹⁰.

C. Ratio et utilitas operis

In *OC* auctor potius ad lectorem quam ad auditorem “pios discursus” dirigit¹¹. Quapropter dici potest quod *OC* est potius liber piarum meditationum quam “Piorum Sermonum” seu concionum.

Auctor septem “piis discursibus” in *OC* “ultima septem verba... Aeternae Sapientiae”, i.e. Iesu Christi in Cruce pendentis, exponit. Sumendo argumentum discursuum ab his septem verbis, seu potius sententiis, P. Papczyński in *OC* de sequentibus quaestionibus asceticis disserit :

- dilectio inimicorum et remissio iniuriarum, “ut hac ratione certissimam delictorum nostrorum veniam ac remissionem consequamur” (Verbum I);
- poenitentia ad exemplum boni latronis agenda (Verbum II);
- refugium in B.V. Maria, Matre et spe peccatorum, sumendum (Verbum III);

⁹ Cf. *Positio*, p. 275: *Apologia pro Egressu e Scholis Piis*, 52.

¹⁰ Cf. *infra*, p. 2: “Facultas Censoris”.

¹¹ Cf. *infra*, p. 47: “Rogo te, qui **legere** dignaris hunc discursum...”

- oratio qua peccator poenitens Deo reconciliatur (Verbum IV);
- conversio peccatorum (Verbum V);
- perseverantia in poenitentia usque ad finem vitae (Verbum VI);
- frequens commendatio spiritus nostri Christo, uti medium evitandi relapsiones in peccata (Verbum VII).

In genere dici potest quod auctor *OC*, ardenti zelo animarum incitatus¹², doctrinam asceticam tractat “eo modo, qui et compunctionem afferat, et vitae pariat emendationem” (f. a_v). Secundum auctorem peccatores numquam desperare debeant, quia Misericors Deus eis poenitentibus semper media salutis consequendae offert. Hunc “bonum nuntium” in *OC* praedicans P. Papczyński uti apostolus Misericordiae Divinae agnosci debet.

Gravem inflatamque orationem - propriam pro stylo literario saeculi XVII - P. Papczyński viva, personali, saepe illustrata forma discursus relevat.

D. Fontes

Ad confirmationem et illustrationem suae doctrinae asceticae P. Papczyński:

a) imprimis saepe in *OC* “litteras sacras, et earum interpretes” adhibet. Sacram Scripturam proinde explicat secundum interpretationem authenticam datam a Patribus et Doctoribus Ecclesiae, quorum nomina in ordine cronologico sunt: S. Cyprianus, S. Athanasius, S. Ephrem, S. Ambrosius, S. Ioannes Chrysostomus, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Cyrillus, S. Leo Magnus, S. Gregorius Magnus, S. Isidorus Hispalensis, S. Bernardus Claravallensis, S. Albertus Magnus, S.

¹² Cf. *infra*, *Salve Lector*: “Utinam vel unius mortalis animo labor hic meus prosit, quam grandem eius fructum percepero!”

Catharina Senensis, S. Robertus Bellarminus S.J. Attamen recurrit etiam ad sequentes scriptores ecclesiasticos et spirituales, insignes interpretes S. Scripturae et Magistros studii perfectionis: Dydimum, S. Paulinum Nolensem, S. Isidorum Pelusiotam, Theodoretum, S. Ildefonsum, S. Germanum, Rabanum, S. Remigium, Fulbertem Carnotensem, Rupertum Tuitiensem, Euthymium, Hugonem de S. Victore, Innocentium III, Hugonem a S. Caro, Richardum a S. Laurentio, Nicolaum Lyranum, Paulum(?) Burgensem, S. Bernardinum Senensem, Bernardinum de' Bustis O.F.M., Baptistam Mantuanum, Cajetanum O.P., Isidorum Clarium, Ludovicum Lipomanum, Blosium, Franciscum Toletum et Cornelium a Lapide S.J.

Quibus addendi sunt duo scriptores, quos identificare non potuimus: Radulphus et Staphanus Abbas.

b) quamquam, uti ipse dicet, "parcissime", tamen etiam "prophanam historiam" adhibet. Uti eius fontes sunt historici: Petrus Baptista Burg. - historicus Magdeburgi et chronista eius obsidionis tempore belli 30 annorum; Jovius († 1552) - historicus saec. XVI, et Martinus Martinus S.J. († 1661) - historicus Sinarum.

His forsitan addendus est poeta Virgilius et historia fabularis (mitologia), ex qua varia exempla auctor noster desumit.

c) recurrit etiam ad C. Julium Solinum († saec. III) - scriptorem, qui denotatur uti "naturae scrutator".

d) commemorat varios Sanctos, viros et mulieres speciatim ob opera poenitentiae illustres, inter quos exstant: Dominicus Loricatus († 1060), Gaspar Družbicki S.J. († 1662) et sibi in vita notus Casimirus Bogatko S.P. († 1650).

Duos hagiographos adhibet: Laurentium Surium († 1578) et Danielem Pawłowski S.J. († 1673).

E. Authenticitas textus

Utpote hodie non exstat amplius textus manuscriptus *OC*, unicum fundamentum huius editionis criticae est eius prima et unica editio Cracoviae typis anno 1670 impressa¹³.

a) **Textus ipsius auctoris.** - Authenticitatem huius textus unice errores typographici subvertite potuerunt. Attamen errores qui huic editioni irrepserunt, indicati sunt - praesumptive ab ipso auctore - cum correctionibus in praefatione “Salve Lector”, ac proinde hi errores e textu nostrae editionis criticae iam eliminati sunt secundum correctiones oblatas.

Nunc quaestio est: post revisionem textus typis editi fueruntne aliquid errores typographici quos auctor noster, forse ob inadvertentiam, praetermisit? Hic distinguendi sunt errores: 1) maioris momenti, qui sensum rei mutant vel modificant: videntur mansisse, sed paucissimi; 2) minoris momenti: manserunt sat numerosi, de quibus corrigendis auctor, ut videtur, non curavit. Ubi de errore nullum dubium esse potuit, correctio eius introducta est in textum huius editionis, cum indicatione erroris in annotatione. Ubi autem de errore etiam vel minimum dubium erat, versio originalis relicta est in textu et eius correctio suggerita est solummodo in annotationibus textualibus.

Exstant in *OC* pauca verba latina quae in hodiernis vocabulariis linguae latinae inveniri nequeunt. Videtur quod saeculo XVII haec verba in usu erant et non est difficile eorum sensum capere.

b) **Textus ab aliis auctoribus allegati.** - In hoc casu praeter errores typographicos etiam fidelitatem transmissionis prae oculis habere necesse erat. Quapropter textus in *OC* ex aliis operibus desumptos verificare conati sumus. Talis verificatio facile facta est in casibus allegationum e Scriptura Sancta, etiam quia saepe auctor noster citationes sat prae-

¹³ In calce frontispicii huius editionis legitur: “C r a c o v i a e, Ex Officina S c h e d e l i a n a, S. R. M. Necnon Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi Cracoviensis Ducis Severiae Typographi, Anno Domini 1670”.

cisas eis adiunxit¹⁴, ubi autem hoc non fecit, textus allegatos sat facile ope manualis *Concordantiarum SS. Scripturae* invenire potuimus. Citationes pro S. Scriptura, ubi omnino desunt, a nobis adduntur; ubi autem saepe saepius solummodo caput indicant, pro eis versus complentur.

E contra magnam difficultatem experti sumus in conatu verificationis aliorum textuum¹⁵, quia P. Papczyński saepe solum nomen auctoris indicat, non autem opus eius e quo allegatio provenit. Sed etiam quando aliquam citationem adiungit, hoc saepe facit in modo incompleto vel indicando loca ubi hos textus invenire non potui. Allegationes principaliter in bibliotheca Vaticana quaesivi, sed meam quaestionem etiam ad bibliothecas in Polonia extendi¹⁶.

In casu auctorum qui multa opera scripserunt saepe impossibile erat pro nobis ea omnia scrutare quaerendo textus allegatos, et - proh dolor! - etiam saepe saepius sine felici exitu mansit noster conatus invenire eos ope indicis rerum et verborum.

Notandum est quod textus qui originaliter scripti fuerunt in lingua graeca in *OC* alleguntur in eorum versione latina, quae saepe aliquantum diversa est ab illa quae in editione *PG* invenitur (quae diversitas indicatur in annotationibus textualibus) et nescimus qua editione (cum versione latina) pro his operibus Patrologiae Graecae P. Papczyński usus est. Minoris momenti diversitas apparet in allegationibus e Patrologia Latina prout hoc videri potest pro textibus in *PL* verificatis¹⁷.

¹⁴ Notandum est quod abbreviationes ab auctore in citationibus pro libris S. Scripturae adhibitae mutatae sunt a nobis in ipso textu secundum usum hodiernum.

¹⁵ Citatio data a nobis (et non indicata uti ab aliis desumpta) in annotationibus pro hoc vel alio textu allegato intelligenda est eo sensu quod hunc textum ibi invenimus et verificavimus.

¹⁶ Oportet tamen admittere deficientiam harum quaestionum ob sat limitatum tempus quod ad eas devovere potui. Proinde etiam hanc ob causam verificatio allegationum non est completa.

¹⁷ Idem problema existit pro allegationibus ex Patrologia in aliis operibus nostri auctoris adhibitis, quod iam pro nostra editione critica *TDM* annotatum est (v. Prooemium, p. XI).

F. Scopus huius editionis

Ope huius editionis criticae *OC* Institutum Historicum Marianorum dare vult imprimis sodalibus Congregationis CC. Marianorum meliorem cognitionem historiae eius sub aspectu spiritualitatis quam hi a P. Stanislao a J. M. Papczyński uti Fundatore haurire desiderant. Attamen, uti scriptum asceticum, *OC* lectores etiam inter laicos et alios religiosos invenire debeat, quia pro studio perfectionis christianae et religiosae adhiberi potest. Utique, probabiliter ob decrescentem cognitionem linguae latinae pauci *OC* in eius lingua originali (latina) legent, etiamsi hic textus sit facilior in hac nostra editione ad legendum quam in libro anno 1670 typis impresso (ob imperfectam artem graphicam illius temporis et ob numerosas abbreviationes).

Speratur proinde quod haec editio critica *OC* saltem translatoribus huius operis in linguas modernas proderit¹⁸, etiam et forsitan maxime ob factum quod est textus cui - uti videtur - fidare possunt, quia in hac editione serius conatus factus est perveniendi ad quam maximam possibilem fidelitatem eius textus cum textu originali *OC*.

G. Editiones et versiones modernae

Hoc saeculo prima vice *OC* in lingua originali latina (ex anno 1670) transcriptione dactylographica reproductus opeque machinae duplicatoriae multiplicatus est ad usum sodalium Romae anno 1959¹⁹, sine tamen apparatu critico et cum numerosis erroribus transcriptionis.

¹⁸ Talem scopum prae oculis etiam pro nostra editione critica *TDM* habuimus; cf. *TDM*, Prooemium, pp. XII-XIII: C, 1-2.

¹⁹ P. Stanislaus a Iesu Maria, *Orator Crucifixus sive Ultima Septem Verba Domini nostri Iesu Christi*, in: idem, *Panegyris Lyrica -- Orator Crucifixus...*, Romae 1959, "sumptu Provinciae S. Stanislai Kostka et opera eius sodalium, cum scitu Postulatoris Generalis", pp. 9-48.

Videtur quod haec praesens est prima editio critica *OC* in lingua originali latina.

Recenter facta est anonyma versio *OC* in linguam polonam. Haec versio formam libri hucusque non est nacta, sed in paucis copiis distribuita est modo privato *pro usu sodalium*. Videtur quod intentio erat instruendi hanc versionem apparatu critico, sed mox ab hac intentione quasi desistitum est, quia solummodo prima pars (Verbum I) cum quodam apparatu critico (36 annotationes quoad materiam, sine ulla annotatione textuali) apparet, dum in reliquis partibus praeter citationes ad ipsum textum adiunctas iam paucissimae annotationes quoad materiam factae sunt.

H. Forma graphica et apparatus scientificus

In *OC* anno 1670 typis impresso adsunt pro omni “discursu” aliquae divisiones textus in partes (*a capo*), attamen videbatur nobis opportunum (ad lectionem facilitandam) adhuc maiorem numerum divisionum introducere, secundum diversitatem materiae.

Verba: “Deus”, “Pater (aeternus)”, ac nomina Iesu (Iesus, Christus, Verbum, Sol) et B.V. Mariae (Maria, B. Virgo, Deipara, Mater) quae in textu originali maiusculis in toto exprimuntur, in hac editione *OC* maiusculis solummodo initiantur. In nonnullis casibus verba ab auctore maiusculis initiata hic minusculis initiantur (secundum usum modernum).

Citationes ab auctore positae ante textum allegatum vel in eius decursu in hac editione *OC* ponuntur in fine texti allegati.

Verba propria auctoris (vel adagiones) typis cursivis expressa in hac forma graphica etiam hic conservantur.

Abbreviationes pro hac editione *OC* elaboratae in genere concordant cum secunda editione abbreviationum Encyclopaediae Catholicae sub cura Universitatis Catholicae Lublinensis²⁰.

²⁰ *Encyklopedia Katolicka - Wykaz skrótów*, K.U.L., Lublin 1993.

Alioquin in nostra editione conati sumus praesentare textum modo graphico in suo apparatu scientifico secundum duas instructiones:

1) *Instrukcja wydawnicza dla źródeł historycznych od XVI do połowy XIX wieku*, pod red. K. Lepszego [Instructio pro edendis fontibus historicis a saec. XVI ad medietatem saec. XIX, editore K. Lepszy], Wrocław 1953;

2) P. Bonaventura a Mehr OFM^{Cap.}, *Auxilium scriptorum - Praecepta, consilia, subsidia manuscriptis prelo parandis imprimis operum et commentariorum quae Latine vulgantur*, Romae 1953.

Proinde, secundum *Instrukcja*, n. 24, omissiones quorundam verborum in textibus in *OC* allegatis, ab eius auctore nullo modo indicatae, annotantur a nobis signo: “[.....]”.

Secundum normam pro Instituto Historico Marianorum stabilitam²¹, apparatus scientificus huius editionis cum annotationibus elaboratus est in lingua fontis (*OC*), id est in lingua latina (utique, ob suam simplicitatem et imperfectionem remota ab ista Ciceroniana).

Index (seu Tabula Rerum) in libro originali *OC* ex anno 1670 absens, in nostra editione post eius textum adiunctus est. Attamen numerus et sententia singulorum “Verborum” etiam ope “paginae vivae” (*header*) in textu indicantur.

Casimirus J. Krzyzanowski, MIC

²¹ Cf. *Regulamin Mariańskiego Instytutu Historycznego* [Normae practicae Institutii Historici Marianorum], “4.

Tabula abbreviationum et siglorum

- AEI Albertus Magnus, *Enarrationes in Ioannem : Opera omnia*, Parisiis 1898.
- ALM Idem, *De Laudibus B. Mariae Virg. : Opera omnia*, Parisiis 1848.
- AMS Augustinus, *Soliloquia : Meditationes, Soliloquia et Manuale*, Taurini 1929.
- BBM Bernardinus de Busti, *Mariale... de singulis festivitibus beatae Virginis...*, s.l.e.a.
- BDS Bellarminus, Robertus, *De septem verbis a Christo in Cruce prolatis*, Ratisbonae 1925.
- BMPM Baptista Mantuanus, *Prima Parthenicae Virgo Maria: Omnia Opera*, Bononiae 1502.
- BO Bernardus, *Opera omnia*, Parisiis 1616.
- BPE Blosius L., *Dominicae Passionis Explicatio: Opera*, Coloniae 1606.
- BS *Bibliotheca Sanctorum* I-XIII, Roma 1961-70.
- BSCS Bernardinus Senensis, *De Conversione Samaritanae: Opera omnia*, Florentiae 1956.
- BSV *Biblia Sacra*, ed. Vulgatae, Ratisbonae 1929.
- BURG Burg(us), Petrus Baptista, *Mars Sveco-Germanicus*, Coloniae Agrippinae 1641.
- CNLD *Cassell's New Latin Dictionary*, New York 1959.
- CCCat *Catechismo della Chiesa Cattolica*, Città del Vaticano 1992.
- CCG Caietanus, *Commentarium in Genesim : In Pentateuchum commentarii*, Romae 1532.
- CEC Caietanus, *Evangelia cum Commentariis*, s.l. 1530.
- CLCE Cornelius a Lapide, *Commentaria in Quattuor Evangelia*, ed. 5-a, Taurini-Romae 1941.

- CChrL *Corpus christianorum seu nova Patrum collectio. Series Latina*, Turnhout 1954-
- CChrM *Corpus christianorum seu nova Patrum collectio. Continuatio Mediaevalis*, Turnhout 1971-
- CSPD Catharina Senensis, *De Providentia Dei : Dialogi... per D. Raymundum a Vineis ... in Latinum conversi*, Ingolstadii 1583.
- CTV *Concilium Tridentinum*, Venetiis 1570.
- DIP *Dizionario degli Istituti di Perfezione*, 8 voll., Roma, ed. Paoline, 1973-1988.
- EC *The Catholic Encyclopedia*, 15 voll., New York 1907-13.
- ECat *Enciclopedia Cattolica* I-XII, Città del Vaticano, 1948-1954.
- EI *Enciclopedia Italiana*, 35 voll., Roma 1929-49.
- EKość *Encyklopedia Kościelna*, ed. M. Nowodworski, 33 voll., Warszawa 1873-1933.
- EK *Encyklopedia Katolicka*, 6 voll., Lublin 1973-1993.
- ES Ephrem Syrus, sermo “*De sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae Laudibus*”: “*Opera omnia*”, Antverpiae 1619.
- FDR St. a J.M. Papczyński, *Fundatio Domus Recollectionis...*, ca 1675 : *Positio*, pp. 358-368.
- ICDO Isidorus Clarius, *In sermonem Domini...Orationes*, Venetiis 1556.
- IHEG Isidorus Hispalensis, *Enarrationes... in Genesim*, Rothomagi 1647.
- IVM Ildefonsus, *De Virginitate S. Mariae...*, Parisiis 1576.
- LCG Lippomano L., *Catena in Genesim*, Parisiis 1546.
- LG Constit. Conc. Vatic. II, *Lumen Gentium*.
- LP Lyranus N., *Biblia Sacra... Postilla*, Venetiis 1588.
- LThK *Lexikon für Theologie und Kirche* I-X, red. J. Hofer, K. Rahner, Freiburg im Br. 1957-65.

- NV St. a J.M. Papczyński, *Norma Vitae Religiosae...*(1694-98) : *Positio*, pp. 450-483.
- NVD Nieremberg I.E., *Vita Divina*, Monasterii Westphaliae 1642.
- OC Ioannes Papczyński, *Orator Crucifixus...*, Cracoviae 1670.
- PEK *Podręczna Encyklopedia Kościelna* I-XLIV, ed. Z. Chelmiecki et al., Warszawa 1904-1916.
- PG *Patrologiae cursus completus*, Series Graeca I-CLXI, ed. J.P. Migne, Paris 1857-66.
- PL *Patrologiae cursus completus*, Series Latina I-CCXVII, ed. J.P. Migne, Paris 1878-90.
- Positio *Posnanien. Beatificationis et Canonizationis S.D. Stanislai a I.M. Papczyński...*, *Positio super Introdutione Causae et super Virtutibus*, Romae 1977.
- P.P. *Copia Publica Transumpti Processus Ordinaria auctoritate in Curia Posnanien. constructi super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum S. D. Stanislai Papczynski Clericorum Marianorum Institutoris.* - Arch. Postulationis MIC, Romae.
- RLLM Richardus a S. Laurentio, *De Laudibus B. Mariae Virginis*, Duaci 1625.
- SAL Seneca, Lucius Annaeus, *Ad Lucillum Epistolarum liber de vivendi ratione*, Cracoviae 1524.
- TIC Toletus Fr., *In Sacrosanctum Ioannis Evangelium Commentarii*, Romae 1590.
- TDM St. a J.M. Papczyński, *Templum Dei Mysticum...*, Cracoviae 1675.
- WEP *Wielka Encyklopedia Powszechna* I-XIII, Warszawa 1962-70.

In Stemma Gentilitium¹
Illustrissimi Celsissimi ac Reverendissimi Domini,
D. ANDREAE TRZEBICKI,
Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiae

Candorem Niveus Color hic designat Oloris;
Vox suavis suavem Moribus esse docet.
Illaesus candor, vita est illaesa, fatemur:
Atque iuvat toties dicere: Vivat Olor.

Illustrissime, Celsissime ac Reverendissime Princeps.

Niveus ille Coelestis Olor expansus in ligno fatali, et ante fata sua suavissime praecinens, nativum colorem in purpureum ex sanguinis profusione mutatus, non nisi Purpurato Principi consecrandus erat. Inter plurimos Tua Celsitudo subivit animum, quin prima se humillimi Clientis obtutibus obiecit; quos et gentilitius Tuae Celsitudinis Olor allicit, et senatoria Praesuleaque Purpura trahit, et favores typographiae nostrae collati hanc exiguam ex ea prodeuntem Opellam sibi merito iure deberi persuadent. Praeterea author ipse horum Piorum Sermonum, pientissimo Tuae Celsitudinis patrocinio gloriatus, huc me cum labore suo direxit; ut unus hic libellus duorum gratitudinem Clientum testaretur. Suscipe igitur animo, quo polles, heroico, Celsissime ac Reverendissime Princeps, Cygnea haec expirantis in Cruce vitae nostrum omnium ac salutis Authoris Modulamina, et me sub umbra Alarum gentilitii Tui Cygni perpetuo velis conservare.

Illustrissimae ac Reverendissimae Celsitudinis Vestrae,
Humillimus Cliens, Nicolaus Alexander Schedel.

¹ In OC (1670) hoc stemma gentilitium graphice in hac pagina exprimitur.

SALVE LECTOR HUMANISSIME

Pio, non temerario tamen, impulsus ausu Ultima Aeternae Sapientiae, in humana carne vitam cum sermone finientis, Verba, prout spiritus movebat, exposui. Sententiam nullam de meo conatu fero; Tuo candori id relinquo. Adhibui literas sacras, et earum interpretes: prophanam historiam parcissime, et fere iisdem verbis, quibus excerpta fuit, ut Authoribus eloquentiae gloria maneret. Utinam vel unius mortalis animo labor hic meus prosit, quam grandem eius fructum percepero! Et quoniam alicuius Viri potui meminisse gestorum, nondum a Sancta Matre Ecclesia probatorum, idcirco, quod mandavit Sanctissimus Pontifex Urbanus VIII, facio: nempe, iuxta mentem eius, iterum atque iterum protestor.

[...]²

Et semper felix Vive, ac Vale.

FACULTAS CENSORIS

Imprimatur

Hiacinthus Liborius, S.T.D.

Praepositus SS. Corporis Christi Canonicorum Regularium,
Dioecesis Cracoviensis Librorum Censor.

² Omissus est hic index errorum, qui editioni OC ex A.D. 1670 irrepserunt, quia in praesenti editione hi errores iam correcti sunt.

ORATORIS CRUCIFIXI
VERBUM I

“Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt”
(Lc 23[, 34]).

Remittendo remissionem obtineri.

Vespasianus ille Augustus, qui propria virtute Romanos fasces¹ adeptus erat, tam diligens et assiduus fuit in exequendis imperatoriis muneribus, ut et dictitaret, “Imperatorem stantem mori oportere”, et fere non aliter quam stando animam exhalaverit². Quod ille de Imperatoris officio, hoc ego de Oratoris possum pronunciare: huic nimirum cum supremo halitu verba, cum vita orationem finiendam. Ita Verbum Aeternum, Coelestis ille Orator, Iesus, dicendo ac docendo Crucis in rostris Aeterno Patri spiritum sanctissimum suum tradidit, simulque peroravit ac exspiravit. Hoc expendens [a_v] pientissime divinus Bellarminus purpuratus scriptor³ sic demum hanc crucifixi Verbi dictionem ac doctrinam commendavit: “Christus Iesus, Verbum Aeterni Patris, et de quo idem Pater

¹ *Apud Romanos fasces erant virgarum seu bacillorum fasciculi, plerumque ex betulla arbore. Hi a lictoribus praeferebantur magistratibus tamquam eorum insigne. Metonymice fasces ponuntur pro magistratu, praecipue vero pro consulatu. Cf. FORCELLINI, “Lexicon totius latinitatis”, s.v. Fascis.*

² *Quod traditur in opere “C. Svetonii Tranquilli De XII Caesaribus Libri VIII”: Liber VIII: “T. Flavius Vespasianus Augustus”, Parisiis 1610, p. 108. Cf. BERSANETTI Gastone M., “Vespasiano, Tito Flavio, Imperatore Romano”: EI XXXV, 220: “Vespasiano morì nella sua dimora estiva di Cutilia nella Sabina il 24 giugno 79; fino all’ultimo attese agli affari dello stato e nell’istante supremo si sforzò di alzarsi, esclamando «un imperatore deve morire in piedi»”.*

³ *Cf. PIOLANTI Antonio, “Roberto Bellarmino, santo” (1542-1621) : ECat X, 1043-1049, ubi legitur quod hic Doctor Ecclesiae anno 1560 ad Societatem Iesu admissus est et anno 1599 cardinalis creatus est.*

aperte dixit, “Ipsum audite” [Lc 9, 35], et qui de se aperte pronuntiavit, “^aMagister vester unus est Christus^a” [Mt 23, 10]; ut officio suo plenissime satisfaceret, non solum vivens a docendo numquam cessavit: sed etiam moriens ex cathedra Crucis verba pauca, sed ardentia, sed utilissima, sed efficacissima praedicavit, et plane dignissima, quae a Christianis omnibus in intimo cordis recipiantur, et custodiantur, et examinentur, et re ipsa, ac factis adimpleantur”⁴.

Quam ad rem ut aliquo adiumento devotis Christo pectoribus esse queam, constitui apud me, pio magis quam calamistrato genere dicendi, hanc Praeceptoris nostri doctrinam e Crucis exedra dictatam paulo copiosius explicare, animorumque nostrorum saluti accommodare eo modo, qui et compunctionem afferat, et vitae pariat emendationem.

Ordior itaque a primo Verbo, quod Lucas Evangelista excepit, atque in suo Divinorum gestorum ac sermonum codice cap. 23 reposuit, hoc ipsum: “Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt”. Ex quo descendendum: diligendos nobis esse inimicos, remittendasque iniurias, ut hac ratione certissimam delictorum nostrorum veniam ac remissionem consequamur. Quod iam promoveo.

[a_{2r}] Nabuchodonosor Assyriorum Monarcha superbissimus⁵, ceterisque vitiis ac sceleribus non omnino vacuus, videbat aliquando (quod Daniel Vates memorat) in somnis Arborem unam, grandem profecto et excelsam, cuius altitudo tangens coelum, latitudo ad terminos universae

^{a-a} “*unus est Magister vester Christus*” (BDS)

⁴ BELLARMINUS Robertus, “*De septem verbis a Christo in Cruce prolatis?* (BDS), Ratisbonae 1925, Liber I, c. 1, p. 1.

⁵ Cf. JOSI Enrico, “*Nabuchodonosor II*” : *ECat VIII, 1592-1596*; JA?- BRZYKOWSKI Romuald, “*Nabuchodonosor*” : *PEK XXVII-XXVIII, 283-284. Ob suam superbiam rex Nabuchodonosor (604-562 a.C.) in insaniam zoanthropicam incidit et quando iterum mentis compos factus est Regem caeli glorificat, qui “gradientes in superbia potest humiliare”*; cf. *Dan 4, 25-34.*

terrae protensa, folia pulcherrima, fructus nimius. Quid quod subter^a eadem habitabant universa animalia, et bestiae, et in ramis eius conversabantur volucres coeli, et ex ea vescebatur omnis caro" (cf. Dan 4[, 7-9]. Cum igitur plurimum oblectationis ex talis tantaeque Arboris repraesentata sibi specie caperet dormituriens[sic!] Rex, ecce tibi^b coelo nuntius advolat, voceque horrenda intonans: "Succidite", inquit, "arborem, et dissipate illam; attamen germen radicum eius in terram^c demittite^d, et vinciat feris et aere in herbis foris, et rore coeli conspergatur, et cum feris sit pabulum eius, donec septem tempora mutantur super eum" [Dan 4, 20]. Exterritus tam inopinato ac infelici delicatissimae et speciosissimae Arboris interitu Nabuchodonosor, illico somno se proripit ex lecto, Danieleque iubet acciri, quem non ignorabat oniromantam^e peritissimum. Adest Vates, et quod iam erat sibi revelatum divinitus indicans: per Arborem ostendit Regem ipsum denotari, futurumque fore, ut is mutatus in feram^f ab hominum consortio extrudatur, foenum bovis instar comedat, sub dio belluas inter integro septennio versetur, donec resipiscens agnoscat, "quod dominetur excelsus^f super regnum hominum" [ibid., 22]. Quoniam [a_{2v}] vero Nabuchodonosorem tenerrime diligebat, ut eum ab hac gravissima et ignominiosissima poena liberum redderet, suasit: eleemosynis Divinum furorem placaret, et sin minus iudicium aequissimum corrumperet, saltem latam iam sententiam mitigaret. "Peccata tua", dicebat, "eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum" [ibid., 24].

^a ita in Dan 4, 9 et 4, 18, dum in OC erronee: "super" ^b est evidens error typographicus; forsitan in textu manuscripto erat "ibi" ^c "terra" (BSV) ^d "dimittite" (BSV)

^e a verbo "oniromantia" - somniorum interpretatio ^f "Excelsus" (BSV)

⁶ Cf. Dan 4, 22: "cum bestiis ferisque erit habitatio tua".

Arbor haec, quae elatissimum Persiae Monarcham quemlibet etiam peccatorem figurabat. Itaque horum quilibet sibi quoque consultum a Daniele dictumque putet: “Peccata tua eleemosynis redime, etc.”

Sed non quivis hoc munificentiae spiritu abundat, quamvis aequae peccatis ac opibus abundet. Alius vero tametsi cupiat eleemosynarum largitione suis pro delictis satisfacere, unde id praestet, non habet; cum ipse egeat, cum ipsi res angusta domi prope necessitatem faciat mendicandi.

Huic ergo Augustinus occurrens ita ad rem nostram profatur: “Si aliquis ita pauper sit, ut nullam rem habeat, ut eleemosynam temporalem faciat; quia non potest fieri, ut ab aliquo non patiat in iuriam, si ex toto corde omnibus in se peccantibus indulgeat, et contra nullum hominem odium teneat, atque omnes sicut se ipsum diligat: hoc ei procul dubio pro maxima eleemosyna reputabitur”⁷.

Hac eleemosyna peccata sua redimet, hac misericordia misericordiam consequetur. Desunt, o peccator! tibi nummi, quibus debita contracta apud Deum exsolvas? at forsitan inimici non desunt, calumniatores non desunt, obtretratores non desunt, persecutores non desunt, adversarii non desunt, [a_{3r}] aemuli non desunt, oppressores non desunt: his ignosce, tibi Deus ignoscet: mansuetudine tua eum ad clementiam provocabis: non se, crede mihi, ea sinet a te superari. Quodsi liberalis tibi videris in egenos, at immitis in adversarios, non lenies iram Dei liberalitate, qui certius benignitate placatur. Frustra Tobiam⁸, si non et Davidem⁹ imitaberis.

David mansuetissimus Regum defectuum suorum contemplatus multitudinem, extimescebat vehementissime furorem Domini; hinc animo toto perturbatus clamabat: “Non est sanitas in carne mea a facie

⁷ Non potui textum hic allegatum invenire in operibus S. Augustini secundum indicem generalem ad ea annexam.

⁸ Cf. Tob 2, 16. 22; 4, 7. 11-12; 9, 9; 12, 9; 14, 11. In his versibus sermo est de eleemosyna, quam tum Tobias senior tum Tobias iunior elargiebantur.

⁹ Vide infra, no. 10.

irae tuae", Deus, "non est pax oculis^a meis a facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me" (Ps 37[, 4-5]). Sed tandem revocatis in memoriam iniuriis, quibus cumulatissime a capitalissimo hoste suo Saule obrutus fuerat, et nihilominus eas occasione commodissima non fuerat ultus¹⁰, alacriter spem veniae a Deo consequendae resumit, iamque Divinae iustitiae executores cacodoemones, et eosdem animorum nostrorum hostes acerrimos, nihil metuens ita demum colloquitur Deo: "Si reddidi retribuendis mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis" [Ps 7, 5].

O quot mortales hoc corruptissimo saeculo reperire possumus, quorum peccata numerum superant capillorum! quorum iniquitates caput supergressae sunt! Quid igitur talium unus aliquis facturum, ut scelerum suorum pondere solvatur? Non dubito, quin [**a**_{3V}] ad D. Petrum sit recursurus, quoniam huic uni Pontificium ligandi atque solvendi peccatores traditum est¹¹. "Quodcumque ligaveris super terram," (dicebat Petro Christus) "erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis" (Mt 16, 19).

Bene est, bone peccator. Ad Petrum una tecum ego vadam. Sed audin", quid nobis Petrus ea causa faciendum inculcat? "Ante omnia" (inquit) "mutuam in vobismetipsis continuam charitatem habentes: quoniam^b charitas operit multitudinem peccatorum" (1 Pet 4, 8). Rem optimam suadet Petrus, nec adeo difficilem. Amare mutuo sine gravi molestia ac labore possumus. Ne tamen (quoniam et hoc fieri facile potest) in hoc amore erremus, rectam eius methodum praescribens

^a "ossibus" (BSV) ^b "quia" (BSV)

¹⁰ Cf. 1 Sam 24,1-20.

¹¹ Hoc dicto auctor certe non voluit negare quod "ligandi ac solvendi munus, quod Petro datum est (Mt 16,19), collegio quoque Apostolorum, suo Capiti coniuncto, tributum esse constat"; v. LG, 22. Cf. etiam CCCat, 1461.

Gregorius: “Nemo” (ait), “cum quemque^a diligit, habere se protinus charitatem putet, nisi prius ipsam vim suae dilectionis examinet. Nam si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, charitatem non habet [.....]. Charitas enim^b vera est, cum et in Deo diligitur amicus, et propter Deum diligitur inimicus. [.....] Ille ergo securus amat, qui propter Deum^c amat, a quo se intelligit non amari” (hom. 38)¹². Ex sententia ergo Petri, “charitas operit multitudinem peccatorum”; sed illa tantum ex declaratione Gregorii charitas, qua “propter Deum diligitur inimicus”. Diligite, o peccatores! inimicos vestros: bene facite his, qui oderunt vos: dimittite, et dimittimini.

Regum aliquis, quod Servator noster apud Matthaem retulit, servos aliquando suos ad [a_{4r}] calculos vocaverat. Hos inter “oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta”. Ingens pro servo debitum et solutu difficile. Cum itaque sit axioma iurisperitorum probatissimum: qui non potest aere, luat corpore: “iussit” hunc talem debitorem princeps ille “venundari, et uxorem eius, et filios, et omnia, quae habebat”; et pecuniam inde coactam fisco suo inferri. Miser servus, nisi regium animum natura sua ad clementiam pronissimum humillima deprecatione flexisset. Advolutus enim pedibus domini, orabat egregia submissionis formula: “Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi”. Sic evasit: “Misertus enim^d Dominus^e ipsius^f dimisit eum, et debitum dimisit ei”. Magna gratia, si gratum pectus reperisset: insignis clementia, si non crudeli et impiissimo homini fuisset exhibita. Nam hic nefarius praedo vix e conspectu regis egressus, cum “unum de conservis suis” reperisset, “qui debebat ei centum denarios”, protinus apprehensum “suffocabat”, identidem ingeminans: “Redde, quod debes”: restitue centum denarios, restitue. Personuit regia tota haec tanta crudelitas. Itaque revocatus nequam exactor in carcerem coniiicitur, tamdiu torquendus,

a “quempiam” (PL) b “autem” (ibid.) c add. “illum” (ibid.) d “autem” (BSV)
e add. “servi” (ibid.) f “illius” (ibid.)

¹² GREGORIUS, “Homiliae XL in Evangelia”, hom. XXXVIII : “S. Gregorii Papae I, Cognomento Magni Opera Omnia?, t. II, l. II : PL 76, 1289, n. 1640.

"donec^a" ipse suum "redderet^b debitum", et plenissime exsolveret. Quem tangit haec parabola? Christianos peccatores: qui cum gravissima debita apud coelestem Regem contraxere, levissima suis proximis relaxare nolunt. Unde sequitur horrenda illa Christi comminatio: "Sic et Pater meus coelestis faciet vobis", quemadmodum rex ille fecit servo nequam, "si non remiseritis [a_{4v}] unusquisque fratri suo de cordibus vestris" [Mt 18, 23-29. 34-35].

Isidorus Clarius, sacrarum literarum disertissimus interpres¹³, huic parabolae Domini nostri lucem afferens: "Haec ipsa ^clex", inquit, "est^c coelestis Patris; qui etiam cupiens habere occasionem ignoscendi, permittit offensiones inter homines accidere, ut omnes debitores aliquos habeamus, quibus remittendum sit; ut possit ipse maxima nobis remittere debita, quae illi debemus"¹⁴. Mirari possit aliquis, cur inter Christianos, quos ita mutui vinculum amoris debeat connectere, ut omnes unum cor animamque unam habeant, quemadmodum in Actis Apost. de primitiva Ecclesia scriptum est: "Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una" [Act 4, 32], cur, inquam, nostra tempestate tot inter Christianos differentiae, ne dicam inimicitiae, reperiantur, ut vix aliquem monstrare possis, qui non aliquem adversarium habeat, aut insectatorem? Permissione Divina id asserit fieri Clarius, ut dimittendo proximis, a Deo quoque veniam obtineamus: "qui etiam cupiens habere occasionem ignoscendi, permittit offensiones inter homines accidere, ut omnes debitores aliquos habeamus, quibus remittendum sit, ut possit ipse maxima nobis remittere debita, quae illi debemus" (Orat. 53 in Matt.)¹⁵. Nos vero tam impudenter deliramus, ut malimus in tar-

^a "quoadusque" (BSV) ^b add. "universum" (ibid.) ^{c-c} "est lex" (ICDO)

¹³ Cf. PENNA Angelo, "Clario, Isidoro", in: *ECat III, 1771, ubi legitur: "Scrisse moltissimo e quasi unicamente intorno alla Bibbia"*; SOKOŁOWSKI Czesław, "Clario Izidor" († 1555), in: *PEK VII-VIII, 112*.

¹⁴ ISIDORIUS CLARIUS, *Oratio 53: "In Orationem Dominicam"*: "In sermonem Domini in monte habitum Secundum Matthaëum Orationes sexagintanovem ad Populum", Venetiis 1556, f. 210v.

¹⁵ *Ibid.*

tarum praecipitari, quam verbulum aliquod scommaticum, quam exiguum contemptum, quam levem iniuriolam nobis illatam aequo animo ferre, condonare, in vulnera Servatoris demergere: cum tamen quotidie clamemus ad Patrem coelestem, “dimitte [**b_r**] nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris” [Mt 6, 12]. Aut ergo dimittendum est, aut, si non dimittimus, mentiendum coram Deo. Sed quo fructu? ut auctionem debitorum faciamus? absurdum est, et maximae insaniae. Danda venia potius etiam non petentibus, ut ea petentes impertiamur a Deo. Ignoscendum est, ut nobis ignoscatur.

Audi, mi Christiane, Praeceptorem tuum et Ducem e Crucis cathedra verba facientem. Quid dicit? “Pater, dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt”. Expende voces singulas, quot plenae mysteriorum! Patrem compellat, Patrem exorat: qui se tam egregie Filium eius probavit, ut omnino mereretur exaudiri. Dimitti petit, non dissimulari, delicta inimicorum: dimitti rogat poenam simul et culpam; et quidem culpam tam enormem, qua non gravior altera toto orbe unquam audita est; scelus horrendum, ingens, invisum, immensum, inexpianum! Pro quibus autem deprecatur? pro illis, a quibus proditus, captus, vinctus, raptatus, illusus, percussus fuit: pro illis, qui ei sacrilegas manus iniecerunt, qui in eum testimonia falsissima congesserunt, qui dignum quovis cruciatu iudicarunt, qui spinis caput eius cruentarunt, faciem sole sereniorum sputis faedarunt, pugnis et alapis confregerunt, collum catenis onerarunt, totum corpus illius a planta pedis usque ad verticem capitis plagis ac vulneribus conciderunt; pro illis, qui eum accusarunt innocentem, ad supplicium postularunt [**b_v**] nullo scelere pollutum, Barabbae latroni et homicidae postposuerunt, ferali sententia damnarunt: pro illis, qui oneratum patibulo ad infamem reorum aream traxerunt, vestibus dire spoliarunt, clavis ad Crucem immaniter affixerunt, medium latronum statuerunt, sitientem felle acetoque potarunt, orantem blasphemaverunt, patientem illuserunt, pro se denique aeterno Patri supplicentem despexerunt. His tamen ille tam atrocibus, tam nefariis, tam consceleratis inimicis, non solum ipse ignoscit, sed et Patrem suum reconciliat:

id vero tanta bonitate, tam inaudita mansuetudine; ut quo facilius veniam illis obtineat, cum scelus ipsum utpote apertissimum non possit excusare, intentionem excuset, ignorantiam praetendat, amentes, qui ut deliberate ita malitiose nihil agunt, ostendat: "Non enim" (ait) "sciunt, quid faciunt".

O abyssum clementiae ac pietatis! Vide, quam praeclarum tibi exemplum diligendorum inimicorum praebeat, o peccator! atque id maximo tuo bono. Quamprimum enim bilem, quam foves adversus illum aemulum, aut illum inimicum, e tuo pectore eieceris; illico te pietissimum Numen oculo benignissimo respiciens, et venia scelerum omnium donabit, et copia suarum cumulabit gratiarum. Hoc sentiens Doctorum Doctor Augustinus ita nobis loquitur universis: "Vos ad inimicorum dilectionem admoneo, quoniam ad sanandum peccatorum vulnera nullum esse medicamentum utilius cognosco. Licet magnus labor sit inimicos diligere, sed [b_{2r}] magnum erit praemium in futuro. Qui dilexerit inimicos, hic erit Dei amicus: non solum amicus, sed et filius"¹⁶.

O felicissimum hominem, qui per inimicorum dilectionem et remissionem peccatorum consequitur, et in Dei filium adoptatur!

Obsecro igitur vos cum illo aurei oris Pontifice¹⁷, qui summas iniurias a summis inimicis irrogatas sibi patientissime tulit: obsecro vos quotquot nomen Christo dedistis, "ut obtemperemus doctrinae Christi, et non solum diligentes diligamus germane, omni odio et rancore ab animabus nostris eliminato, sed et eos, qui hostiliter nos persequuntur, diligere studeamus. Nec enim aliter nos salvari possibile erit. Immo

¹⁶ *Textum hic allegatum in operibus s. Augustini secundum indicem generalem ad ea annexum invenire non potui.*

¹⁷ *S. Ioannes Chrysostomus († 407), archiepiscopus Constantipolitanus (ab an. 387), "il più grande oratore cristiano, uno dei più grandi oratori di tutti i tempi, fu Giovanni, detto dai posteri - a partire dal sec. VI - Crisostomo (cioè «dalla bocca d'oro»)». Cf. CATAUDELLA Quintino, "Giovanni Crisostomo, santo" : ECat VI, 534-535ss. Cf. TDM, c.XI, no. 2.*

magis diligere studeamus inimicos, utpote eos, qui nobis innumerorum bonorum sunt authores. Sic enim et peccatorum nostrorum remissionem invenire, et humiliata mente, et contrita anima, Deum precari poterimus”¹⁸. [b_{2v}]

¹⁸ *Textum s. Ioannis Chrysostomi hic allegatum - ex ignoto eius opere sumptum - invenire et verificare non potui.*

ORATORIS CRUCIFIXI
VERBUM II

“Amen dico tibi: hodie mecum eris in Paradiso”

(Lc 23[, 43])

Paenitentia coelum expugnari.

Iosephus Patriarchae Iacobi filius, patri unice dilectus, et ob id divinosque favores fratribus invisus, ab hisque venditus Ismaelitis in Aegyptum auferendus, et hic scelere nefariae coniugis Putipharis principis exercitus Pharaonis in carcerem coniectus, cum in hoc duos socios, nempe pincernarum pistorumque regionum praefectos, nactus fuisset, horumque primo certam libertatem ex enarrato sibi somnio praedixisset, rogavit denique eum, ut honori primo restitutus vatis non oblivisceretur sui: “Memento mei” (aiebat) “cum bene tibi fuerit, et facias mecum misericordiam, ut suggeras Pharaoni, ut educat me de isto carcere, quia furto [b_{3r}] sublatus sum de terra Hebraeorum, et hic innocens in lacum missus sum” (Gen 40[, 14-15]). Dixisses verba haec fortissime inhaesisse animo tanta consolatione delibuto, et his precibus devincto; nisi prosperior fortuna restituti honoris apprehensione illa penitus erasisset. “Succedentibus prosperis, praepositus pincernarum oblitus est interpretis sui” [Gen 40, 23].

Non ita Redemptor noster duos in Cruce supplicii nactus comites, latronem utrumque; cum ab altero eorum hanc deprecationem percepisset: “Domine, memento mei, cum veneris in Regnum tuum” [Lc 23, 42]; illico, adiecta solennis iuramenti formula, sancte ei pollicitus est, se post aliquot horarum spatium eum secum in paradisum assumpturum: “Dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso”. Dixit, fecit;

promisit, implevit. Eadem die latronem in paradiso collocavit. O promissionem felicissimam! At quo conatu acquisitam? poenitentia. Haec enim est illa clavis, qua peccatores ianuam sibi coelestis paradisi reserant: immo aries, quo eandem perfringunt, uti luculentius exponam.

Postquam nostri generis authores, praeceptum Dei de non tangenda arbore scientiae boni et mali sibi propositum violarunt, pulsati ex illis amoenissimis Elysii Regni viretis in luctuosae mundi vallis exilium, unico peccato et sibi et suae posteritati paradisi ianuam perpetuo obserarunt. Quod sacer historicus his verbis testatus: “Emisit”, inquit, “Dominus Deus de paradiso voluptatis [.....] eiecitque Adam”, et ne qua infausto exuli ad illam [b_{3v}] felicem Patriam reditus aliquis pateret, “collocavit ante paradysum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitae” [Gen 3, 23-24]. Per has tales excubias irrumpere vi, aut intrare furtim in paradysum, non est possibile; maxime illis mortalibus, qui originali peccato actualia plurima adiecerunt.

Asserit tamen ingeniosus Isidorus¹, pio quodam stratagemate posse quemvis peccatorem paradisi ianuam quamvis munitissimam occupare, et ad lignum vitae penetrare; si nimirum se in frameatum Cherubim transformet. “Qui ^a ad Deum convertitur^b” (ait ille) “per flammeam frameam versatilem^c, id est per ^dtribulationes temporales^d urentes^e, peccata sua agnoscendo^f et gemendo: et per Cherubim, id est per^g plenitudinem scientiae, quod est charitas, ^asine qua contritio perfecta, quae

^a *add.* “si aliquando” (IHEG) ^b “se converterit” (ibid.) ^c *om.* (ibid.) ^{d-d} “temporales tribulationes” (ibid.) ^e *om.* (ibid.) ^f “cognoscendo” (ibid.) ^g *om.* “per” (IHEG)

¹ S. Isidorus, episcopus Hispalensis (Sevilla), Doctor Ecclesiae, † 636. Cf. MADDOZ Giuseppe, “Isidoro di Siviglia, santo”: *ECat VII*, 254-258, ubi legitur quod hic auctor “con ambizione enciclopedica abbracciò lo studio intero delle conoscenze umane” (255); etiamsi suum opus letterarium careat originalitate, “la redazione è un mosaico o un lavoro di intarsi, in cui si inseriscono e incrociano frasi, sentenze e incisi di moltissimi autori, ingegnosamente combinati e adattati alle pieghe del ragionamento in ogni caso particolare” (257). En ratio cur a nostro auctore “ingeniosus Isidorus” vocatus est.

clavis est paradisi, dari non potest; ille^a pervenit^b ad Arborem vitae Christum, et vivet in aeternum"².

Illustro hunc eruditi Doctoris conceptum historia militari. Barbarossa^c (quod Iovius³ memorat) Mahometanae sectae et factionis latro, ac postea Tunetanus in Africa Rex⁴, Magonis portum Hispanis tum subiectum occupaturus, quo facilius id perficeret, "Caesarianae classis speciem, explicatis Christianorum insignium vexillis" praebuit "defensoribus" (hist. lib. 38)⁵. Hi suos adesse rati etiam in signum laetitiae explosis tormentis hostem intro admiserunt⁶. Hac arte portum ille cepit, et paulo post oppidum ipsum.

Tartarorum quoque Asiaticorum Rex, ab Usangeio (narrat hoc Martinus Martinius S.I. scriptor⁷) [b_{4r}] impigro et fidelissimo Sinici Imperatoris Duce in suppetias Domino suo contra latronem Licungzum

a-a om. (ibid.) b "perveniet" (ibid.) c "Barbarussa" (OC), erronee tamen

² S. ISIDORUS Hispalensis Ep., "Enarrationes... in Genesim", Rothomagi 1647, p. 26.

³ Cf. SMOLEŃKI Maciej, "Jovius Paweł, bp w Nocera, dziejopisarz" († 1552): *EKOść IX, 191, ubi legitur: "zostawił po łacinie: «Historię swego czasu» w 45 księgach (od 1492-1544), Florenc. 1550-1552... Najzupetniejsze wydanie jego dzieł wyszło w Bazylei 1578, w 6 v. in f."*

⁴ Cf. ROSSI Ettore, "Barbarossa (Khair ad-din)" : *EI VI, 134, ubi de eo legitur: "Famoso pirata ed ammiraglio della flotta ottomana dal 1533 al 1546, nel 1534 devastò le coste tirreniche dell'Italia ed occupò Tunisi [...] La grave minaccia indusse Carlo V a guidare personalmente a Tunisi l'anno seguente una forte spedizione che valse a riprendere la città e a mettere in fuga Khair ad-din. Costui però [...] appena fuggito da Tunisi raggiunse ad Algeri una squadra di galere e depredò Port Mahon nelle Baleari". Cf. etiam: anom., "Barbarossa" : *EKOść II, 4.**

⁵ IOVIUS Paulus Novocomensis, Ep. Nucerinus, "Historiae sui Temporis", Lib. 34 (sic!) : "Opera omnia", Basilea 1578, p. 303.

⁶ Cf. ibid.: "et [ut] effusis ad spectaculum oppidanis, multis de more tormentorum bombis salutaretur".

⁷ Cf. HUONDER A., "Martini, Martino" (1614-1661) : *EC IX, 730, ubi M. Martini dicitur fuisse "distinguished Austrian Jesuit missionary to the Chinese, in the XVIIth century". De suo opere ibi haec legitur: "Of the great chronological work which Martini had planned, and which was to comprise the whole Chinese history from the earliest age, only the first part appeared: "Sinicae Historiae, Decas I" (Münich, 1658). His "De Bello Tartarico Historiae" (Cologne, 1654) is also important as Chinese history, for Martini himself had lived through the frightful occurrences which*

ferendas vocatus, tale vocanti dedit monitum: “Ut nostra certa sit victoria, suadeo, ut tuos milites Tartarica veste ac pileo, scissisque capillis uti iubeas: ita fiet, ut latro nos omnes Tartaros credat”⁸. Credidit, et potentiam veritus fugit.

Verum et Poloni, Premislo aurifabro stratagematis auctore, et mox in proemium Principe, caesis per insidias Ungarorum Moravorumque cohortibus, arma vestesque caesorum induti etiam in castra pro suis quasi victoribus recepti fuerunt; quibus feliciter hostem, provehente astu fortunam, exuerunt⁹.

Vultis et vos, o peccatores! capere paradisum voluptatis? Effingite frameatos Cherubinos: poenitentiam ardentem arripite, quae vos excubiis paradisi efformet similes: sic pro Coelitibus agniti ad munitissimam illam portam admittemini, sic ad lignum vitae perrumpetis. “Qui ad Deum convertitur, etc.”¹⁰

Ezechiel vates nutu Dei sublatus fuit in “montem excelsum”, “super quem erat quasi aedificium civitatis vergentis ad Austrum” [Ez 40, 2]: cuius Civitatis portae Orientalis et Aquilonaris in omnibus plane mensura et modo conveniebant [cf. *ibid.*, 6-27]. Radulphus¹¹ hoc non absque arcano factum esse contemplatus sententia sua propositum meum confir-

brought about the overthrow of the ancient Ming dynasty. The works have been repeatedly published and translated into different languages”.

⁸ MARTINIUS Martinus, “*De Bello Tartarico Historia*”, Antverpiae 1654, p. 76.

⁹ Cf. CROMER Martinus, “*De Origine et Rebus gestis Polonorum Libri XXX?*”, Basileae 1568, p. 22, A-B (l.II), ubi inter alia legitur: “*Vincentius [Kadhubek] memorat [...] hominem quendam plebeium et aurificem, Praemislum nomine, coadunata aliquanta manu voluntariorum militum, huiusmodi arte hostem circumvenisse: nempe[...] illos, cum longius in sylvas fugientes Polonos persequi instituissent, in praeparatas a Praemislo insidias praecipitatos, et conscisos esse. Polonos deinde caesorum armis indutos, ad castra hostilia contendisse, et pro sociis atque commilitonibus habitos, in imparatos et nec opinantes impetum fecisse, magnamque stragem edidisse. Ad extremum [...], hostes [...] ingloriosos Polonia excessisse*”; p. 23: “*Ob tam praeclarum igitur facinus [...] Praemislus omnium acclamationibus princeps renunciatur*”. Cf. etiam: DEUGOSZ Ioannes, “*Historiae Polonicae Libri XII*”, t. I, Cracoviae 1873, pp. 76-77, ubi tamen legitur de diverso astu seu “stratagemate”.

¹⁰ Auctor lectorem ad praevidiam allegationem (v. no. 2) refert.

mat. Dicit enim Civitatis Ezechieli monstratae (quae non alia sit quam coelestis paradus) portas aequales esse propterea: quod tam iusti, qui per Orientalem portam eo ingrediuntur, quam poenitentes [b_{4v}] peccatores, qui per Aquilonarem admittuntur, plane sibi sint aequales. Quamvis enim peccatores iustitiam originalem amittant, per dignos tamen poenitentiae fructus ad innocentium sane statum perveniunt. Unde sicut his porta patet Orientalis in paradus, eo modo patet illis Aquilonaris, parem cum iustis ad Superos habent ingressum. En mentem doctissimi interpretis afferro: "In Ezechiele" (inquit is) "porta ad Aquilonem ea omnia, quae porta ad Orientem, perhibetur habere. Omnes enim, qui ab utero in innocentia perstiterint, portam ad Orientem habent, quia eis Regni coelestis aditus a lumine, quod acceperunt patet; et omnes, qui in peccatum postmodum lapsi torporis sui frigore sunt depressi, si per poenitentiam redeant, portam ad Aquilonem habent, quia eis etiam post peccati frigora Regni aditus per misericordiam patet"¹².

Quod ut nobis clarius elucescat, sciendum est, binas claves esse inter Ecclesiae Sacramenta, quibus coelum nobis reseramus: Baptismum nempe, ac Poenitentiam. Et Baptismus quidem, docente sancta Tridentina Synodo, "a^aita homines^a innocentes, b^bimmaculatos, puros, innoxios^b, ac Deo c^cdilectos efficit^c, [.....] ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur"¹³: quoniam Veritatis aeternae promissum est: "Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit" [Mc 16, 16]. Poenitentia vero

a-a om. (CTV) b-b "immaculati, puri, innoxij" (ibid.) c-c "dilecti effecti sunt" (ibid.)

¹¹ Probabiliter hoc nomine indicatur Radulphus Ardens (saec. XII), praedicator, qui homilias "In Epistolas et Evangelia dominicalia? reliquit. Cf. GRÜNDEL J., "Radulfus Ardens" : LThK VIII, 967s.

¹² Non potui in homiliis huius Radulphi - nec in harum editione PL 155 secundum indicem, nec in editione Parisiis 1567 facta secundum annotationes marginales, - textum hic allegatum invenire, quamquam in his homiliis adsunt nonnulla alia commentaria ad Librum Ezechielis.

¹³ Cf. "Concilium Tridentinum", Venetiis 1570 (Sessio Quinta, Decretum de peccato originali), p. 19.

commissa lapsorum post Baptismum peccata sic excoquit, ac emundat, ut ad pristinum nitorem per eam redeuntes digni coelo reperiantur. Ac proinde tam in sacris literis quam a sanctis Patribus baptismus vocatur; quod quemadmodum ille [c_r] renatis per aquam, ita haec a peccato resuscitatis per gratiam coelum pandit. Patet igitur iustis et innoxiiis coeli porta Orientalis, at etiam peccatoribus contritis et poenitentibus patet Aquilonaris: quae ideo per omnia similis primae ab Ezechiele visitur, ut agnoscamus aequae peccatores coelestis gloriae donis cumulari, ubi seriam poenitentiam egerint, atque eos, qui nullo scelere innocentiam suam originalem polluerunt.

O peccatores! apprehendite hanc clavim felicem Poenitentiae, ne soli innocentes coelo gaudeant; illis coelum Baptismus aperit, vobis, modo velitis, aperiet idem Poenitentia. “Omnes enim, qui ab utero etc.”¹⁴

Diximus aperiri coelum Poenitentia, restat, ut idem eadem expugnari probemus. Prodromus ille Solis aeterni Ioannes postquam coepit doctrinae suae radios super fluenta Iordanis diffundere, plurimos ad se status omnis ac sexus mortales pertraxit, et adeo illuminavit, ut visis peccatorum suorum tenebris illum serio de modo fugandi easdem compellaverint. “Quid ergo faciemus?” [Lc 3, 10]. Tum is nullam certiore ac solidiorem luminis gratiae recuperandi videns rationem quam sit Poenitentia, brevi sed efficaci sermone cunctos ad eam hortatus: “Facite ergo” (aiebat) “fructus dignos poenitentiae” [Lc 3, 8]. Aliis vero opulentioribus, at forte non prodigis in egentiores pias largitiones persuadens: “Qui habet duas tunicas” (dicebat) “det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat” [Lc 3, 11]. Publicanorum deinde avaritiae [c_v] habenas iniiciens: “Nihil amplius” (dicebat) “quam quod constitutum est vobis, faciatis” [Lc 3, 13]. Tandem et milites, quorum plurimi profecto rapinis et oppressionem pauperum ad luxuriam usque abutebantur, nec alio fine invalidae plebis fortunas exhauriebant, quam ut lautissimis conviviis faedisque computationibus eas absumerent, ita allocu-

¹⁴ *Lector refertur hic ad textum Radulphi praevis allegatum; v. no. 12.*

tus est: "Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; et contenti estote stipendiis vestris" [Lc 3, 14]. Haec Vocis illius in deserto clamantis concio tam fuit efficax, ut integras fere legiones hominum sceleratorum ad coelum poenitentia expugnandum concitaverit. Disertissime hoc coelestis ipsa Veritas his apud Matthaenum verbis testata est: "A diebus Ioannis Baptistae^a Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud" [Mt 11, 12].

Quod testimonium illustrans doctus interpres Cornelius¹⁵: "Peccatores", inquit, "ut publicani, meretrices et Gentiles, ipsis Pharisaeis et Iudaeis, qui sibi solis quasi filiis Abrahae hoc debitum putabant, fervore spiritus et poenitentiae Regnum coelorum praeripiunt, eripiunt, auferunt"¹⁶.

"Vim" enim "facimus Domino" (ut mellifluus docet Ambrosius) "non compellendo, sed flendo; non provocando iniuriis, sed lacrimis exorando; non blasphemando per superbiam, sed per humilitatem moerendo"¹⁷.

O fortissimum et validissimum arietem Poenitentiae! quae Deo facit violentiam, rapit coelum, expugnat paradisum. Iuvat hoc ipsum eleganti historia elucidare. Magdeburgum, nobilissimum et opulentissimum ad Albim Emporium¹⁸, ad eam opportunitate loci (quod Florus Germanicus¹⁹ [c₂₁] affirmat) paulatim potentiam excreverat, ut Romanis Imper[atoribus] saepe grave, illis eorum conatibus, suam multis saeculis vir-

^a add. "usque nunc" (BSV)

¹⁵ Cf. HOLZMEISTER Urbano, "Cornelio a Lapide", S.J. : *ECat IV,569*, ubi legitur quod is fuit "celebre esegeta" (1567-1637), qui "commentò tutta la S. Scrittura ad eccezione di due libri...", et laudatur eius "grande erudizione", "scrupulosa diligenza" et "luminoso ingegno".

¹⁶ CORNELIUS a LAPIDE, S.J., "Commentaria in Quattuor Evangelia", ed. V, Taurini-Romae 1941 (CLCE), t. I: in *S. Matthaenum, Pars Prior*, pp. 391-392.

¹⁷ *Ibid.*, p. 392. Hic textus s. Ambrosii ab auctore OC mediante dicto opere Cornelii a Lapide desumptus est, ubi citatur: "lib. V in Lucam, serm. 5".

¹⁸ Cf. THESEIDER Eugenio D., "Magdeburgo": *EI XXI*, 877-879, ubi legitur: "Importante città della Germania..., posta sulla sinistra dell'Elba in ottima posizione commerciale.."

¹⁹ Probabiliter sic denotatur historicus germanus Petrus Baptista Burg(us) qui de bello Sveco-Germanico scripsit (v. infra, no. 24), ad instar famosi historici romani cuius

ginitatem illibatam conservaverit²⁰. Sed hanc auspiciis Ferdinandi Augusti²¹, cuius imperium excutiebat, Urbi rebelli erepturus Magnus ille piusque bellator Tyllius²², eam grandi exercitu cinxit, spoliatamque propugnaculis, fame pressam, tormentis laceram ad deditionem compellere satagebat. Et iam cives non exiguis afflictii malis clementiam victoris quam ruinam urbis experiri potius cupientes, ei sese conditionibus quibusvis tradere destinabant, in eumque finem tubicinem ad Tyllium expediebant; cum, segnius re procedente, socius obsidionis alter, Pappenheimius^a, fortissimus et pugnacissimus miles, gloriae, forsan et praedae, avidus in urbis inimicae perniciem suos ita (iuxta Baptistam Burg²³.) con-citat: “Quousque” (dicebat^b) “rebellis haec civitas vestram virtutem, commilitones, eludet? Anne huic obsidendae nostram omnem aetatem impendemus? impunes nobiscum Magdeburgenses transigent? Servabunt patriam, domos, aurum, qui tantum nobis negotii facessiverunt^c; nos, qui tot tantosque labores in hac obsidione exantlavimus, sine proemio abimus? Sic erit, milites. Ecce iam tubicinem nostrum dimittunt. Tyllio aequis conditionibus se dedunt; nos merita partaque praeda defraudamur, et laceras vestes, vulneratum corpus, defessam animam reportabimus?^d Quin potius, priusquam haec concludantur, duobus istis agglomeratae [c_{2v}] argillae cubitis superatis, in inermem illam plebeculam ferro irrum-pimus? Ascendere vallum labor erit solum: caetera, caedes inertium, vas-

nomen: Florus Lucius Annaeus: “a Roman historian of the second century A.D., who composed an epitome of Roman military history” (CLND); cf. WEP, 3, 740.

²⁰ Sic commemoratur nomen huius civitatis: “Magdeburgum”, quod est “antico alto tedesco magad «vergin»”; ita sec. opus in nota 18 indicatum.

²¹ Cf. DUCHA., “Ferdinand II” (1578-1637) : LThK VIII, 80. Fuit “Augustus” ab anno 1619.

²² Cf. RYSTER Julian, “Tilly Jan T.” (1559-1632) : PEK XXXIX-XL, 156, ubi Tilly describitur uti “sławny wódz wojsk ligi katolickiej w trzydziestoletniej wojnie”. Cf. etiam: ALBRECHT D., “Tilly, Johann T.” : LThK X, 196.

²³ Agitur de auctore cuius nomen est: Petrus Baptista Burg(us) Genuensis.

^a “Popennaimus” (OC), sed erronee. ^b “inquit” (Burg) ^c “facesserunt” (ibid.)

^d “reportabimus.” (ibid.)

tationes domorum, solatium: supellectiles, divitiae, quibus Magdeburgenses abundant, proemium erunt. Agite, milites, me ducem sequimini: perfidiam sine poena, iniurias sine ultione, nostros labores sine proemio, esse non patiamur" (1.2)²⁴. Dixit, et haud secus quam aliis persuaserat se gens, districto gladio, fossam primus ingreditur, superatisque suis muniti-
onibus contra vallum tendit, et milites pari alacritate ducem secuti inferi-
orem valli partem occupant, mox superiorem aggressi ex ea quoque Ma-
gdeburgenses deturbant, confectoque plumbea glande, qui potentius resis-
tebat, et iam Caesarianos repellebat, Falchenbergio, urbem capiunt, diripi-
unt, incendunt²⁵.

Sorti ego hic Magdeburgensium condoleo, sed Civitatem illam coe-
lestem, quae Apocalyptico Vati quondam fuit exhibita in forma novae
Ierosolymae, non aliter a nobis posse capi animadverto. En ducem
strenuissimum D. Ioannem Baptistam verbis operibusque nos eo provo-
cantem! Vultu ieiuniis emaciato, oculis profunde capiti mersis, camelina
pelle rigidus, pedes nudus, exsanguis, exhaustus, divini tantum Spiritus
affluentia repletus, praedicat baptismum poenitentiae: arietem coelo
expugnando suppeditat: vi magna rapiendum ostendit: pulsandum gemi-

²⁴ BURG(US) Petrus Baptista Genuensis, "Mars Sveco-Germanicus, sive Rerum a Gustavo Adolpho Sueciae Rege gestarum. Libri Tres, quibus Belli Sueco-Germanici initium [...] fidelissime referuntur". Coloniae Agrippinae 1641, pp. 153-154.

²⁵ Est etiam haec reliqua pars descriptionis quasi ad litteram e libro desumpta, ubi tamen loco "munitionibus" legitur "munimenti", et post "deturbant" legitur: "Falckembergus autem cum suos[?] classicum canere sensisset, egressus curia, quos potuit milites collegit, et contra Pappenheimium civitatem iam ingredientem duxit; hic renovato praelio acriter dimicatum est, iamque Caesarei ab ingruente civium turba repellentur, ni interfecto plumbea glande Falckembergus cives exterriti cessissent; mox omni ex parte Caesarei irrumpere, necare resistentes, incendere ad terrorem domos, excurrere, depraedari, [...]"; BURG(US), op. cit., p. 154.

Cf. THESEIDER, op.cit., p. 879: "Particolarmente provata fu Magdeburgo nella guerra dei Trent'anni, durante la quale venne assediata due volte; [...] venne conquistata, dopo accanita lotta dal Tilly (maggio 1631). Allora la citt' fu preda all'incendio che la distrusse quasi del tutto, e per di più gl'imperiali, non trovandovi il bottino sperato, si abbandonarono al massacro di quasi tutta la cittadinanza, e pochi scamparono dei 36,000 abitanti".

tu, effringendum ieiuniis, piis largitionibus, apud custodes eius proditionem emendam: quodsi hoc sanctum [c_{3r}] stratagema non succedat, per stragem corporum nostrorum, per mortificationem, dico, membrorum contra animas militantium eo irrumpendum.

Fructus poenitentiae dignos qui facit, Regnum coelorum violentus raptor ingreditur; nec ei audet se, nec potest opponere Deus ipse, quandoquidem seipsum tali iuramento obstrinxit apud Ezechielem: “Vivo ego [.....]: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat”. Quod cum ita sit: “convertimini, convertimini a viis vestris pessimis: et quare moriemini domus Israel?” (Ez 33[11]).

Quare damnari potius vultis, quam salvari, o peccatores! quorum gratia Christus, Dei Filius, incarnatus, passus, crucifixus, mortuus est? Si vobis coelum scelera obseravere, arripite poenitentiae arietem et hasce seras convelletis, vique vobis aditum ad vacuas inde pulsorum Angelorum sedes patefacietis. Ne dubitate, vos id effecturos, quod iam unus ex genere latronum effecit.

Pendebat is in furca sua iuxta dextrum crucifixi Servatoris latus, et forte hunc pro inimicis Aeterno Patri supplicantem audiebat. Hinc cogitare coepit et statuere secum: illum esse integrae vitae, scelerisque purum, iustum prorsus et innocentem tam diro supplicio affectum. Praeterea superveniente maiori lumine agnoscit facinora sua pessima, quorum causa damnatus erat temporali morte, aeterna damnandus. Et quamvis assentatus Hebraeis in pientissimum Iesum paulo ante blasphemias cum iisdem evomeret, interea [c_{3v}] tamen repentino vicini Solis fulgore mutatus palinodiam canit. Nam socium et supplicii et blasphemiae audacter aggressus: “Neque tu times Deum” (arguebat) “quod in eadem damnatione es”^a Et nos quidem iuste: nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit” [Lc 23, 40-41].

O Latro! aude iam plura. Hic, quem defendis, insons, Deus est: tuus

^a “*es.*” (BSV)

Redemptor est: pro te ista, quae obstupescis, libenter ille patitur. Quin magis illum tibi forti deprecatione concilias? Facit, et, "Domine", ait, "memento mei, cum veneris in Regnum tuum" [Lc 23, 42]. Et hac voce non potuit mansuetissimum Domini pectus expugnari? expugnatum est. Concessit bonus Dominus reo veniam, "et dixit illi ^a : Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso".

Hoc audiens Chrysostomus plane admirabundus disserit: "Iste Latro de ligno mercatur salutem, hic latro furatur coeleste imperium, vim facit Maiestati"²⁶. Qua ratione? seria, licet sera, poenitentia. Advertens enim delicta sua conteritur, ac summo Sacerdoti Iesu secum crucifixo humillime confitetur. Hinc memoratus Doctor in alias voces iterum erumpens: "Praedonem", ait, "et raptorem paradisi vidisti" quomodo neque in cruce artis suae obliviscitur, sed per ipsam confessionem praedatur regnum". Unde felicissimum ratus D. Cyprianus Carthaginensis Praesul et Martyr²⁷ sic profatur: "In cruce Latro confitens non tantum indulgentiam meruit, sed Christi familiaris effectus, praemissus est in paradysum, et factus est particeps regni, per confessionem ^b collega martyrii"²⁸.

Docuit nos hic Latro Poenitentia coelum reserare [c_{4r}] aut expugnare: docuit furari, praedari, rapere, divitias immortales. "Non enim hoc illi soli" (ut cum Augustino concludam) "praestitum esse deprehendimus. Nam dum tantum reum Christus Dominus benigne relaxat, humano generi scripsit securitatem: ut consolatio spesque totius populi, absolutio unius desperati esset, et privatum donum cresceret in publicum beneficium"²⁹. [c_{4v}]

^a *add.* "Iesus" (BSV) ^b *add.* "factus" (CLCE)

²⁶ CHRYSOSTOMUS, "De Cruce et Latrone", *hom.*, in: CLCE, t. III: In SS. Marcum et Lucam, p. 460.

²⁷ Cf. PELLEGRINO Michele, "Cipriano, vescovo di Cartagine, santo? (+ 258) : ECat III, 1685-1691.

²⁸ CYPRIANUS, *serm. De passione Domini?*, in: CLCE, t. III, p. 459.

²⁹ *Hunc textum s. Augustini in eius operibus invenire et verificare non potui.*

ORATORIS CRUCIFIXI
VERBUM III

”Dixit Matri suae: **Mulier, ecce Filius tuus**. Deinde
discipulo: **Ecce Mater tua**” (Io 19[, 26-27])

*Clementissimam V. Mariam esse peccatorum Matrem, hos
illius esse filios, in Ioanne a Redemptore eidem commendatos.*

Gratulor hanc felicitatem castissimo Ioanni, quod ei Dominus noster moriturus in Cruce virgini Matrem Virginem commendaverit. Sed una vehementer gaudeo: eidem pientissimae Genitrici Dei peccatores quoslibet pro filiis in Ioanne fuisse commendatos. Eruditus enim Divini verbi paraphrastes Cornelius¹ ita hic in persona Christi Matrem sacramtissimam alloquitur: “O Mater! esto deinceps mulier fortis et generosa: quae mei loco sis basis, petra, et columna meae Ecclesiae; ut eam robore tuo fulcias et omnes contra eam tentationum procellas tua constantia, consilio, oratione, elidas et dissipas, non tantum nunc, sed et^a deinceps [d_r] omnibus^a saeculis, usque ad finem mundi”².

Bono animo estote, peccatores. Ecclesiam suam crucifixus Iesus pientissimae suae Matri commendat: illam, dico, Ecclesiam, “in qua”, teste Magno Gregorio, “mali cum bonis, reprobis cum electis admixti sunt”³. Sic enim vos malos cum bonis in Ioanne Dominus noster Virgini commendasse censendus est: vobis eam pro benefica Parente obtulit.

a-a “omnibus deinceps” (CLCE)

¹ Vide: super, p. 19 (Verbum II), nota 15.

² CLCE, t.IV, p. 448.

³ In PL 76 (“Opera Omnia S. Gregorii Papae I, cognomento Magni”) textum hic allegatum secundum indicem generalem invenire non potui, sed ibi saltem in 3 locis (n. 1009, col. 589; n. 1637, col. 1285, n. 1638, col. 1286) idem verbis diversis assertitur, nempe: quod Ecclesia ex malis bonisque componitur.

"Dixit Matri suae: Mulier, ecce" (unumquemque nostrum, bonum aequae ac malum denotans) "filius tuus. Deinde discipulo:" (nimirum, cuiusvis homini, aequae iusto ac peccatori) "ecce Mater tua".

Hinc religiosissimus pater Richardus a S. Laurentio, singularis Divinae Genitricis encomiastes⁴, quo loco staret illa iuxta Crucem Iesu, innuens, praeclare mihi favet his verbis: "Christus moriens ipsam", nempe Matrem suam integerrimam, "habuit ab Aquilone, quo significantur peccatores: quasi hoc ipse diceret, quod ipsa mediante, dextram^a extenderet peccatoribus congelatis"⁵. Cum itaque sit rarus inter mortales, qui se non sentiat multis delictis oneratum poenas mereri sempiternas, videat, obsecro, quam singulari studio pietatis, ac fervore devotionis, prosequi debeat Virginem Matrem, a cuius clementia certissimam salutem non modo possit expectare, sed etiam teneatur.

Dignissimam memoratu rem, nec a meo proposito alienam, vates Apostolicus capite duodecimo suae Apocalypseos notavit. Refert ibi: exhibitam sibi fuisse, Mulierem amictam Sole, pedibus [d_v] insistentem Lunae, stellis duodecim nitidissima tempora circumornatam, partui se accingentem. Verum praesentissimus aderat draco, caram puerperae sobolem, quam primum in lucem fuisset edita, voraturus. Enixa tamen est absque periculo coelestis Mulier Filium masculinum. Hic namque draconis faucibus ut subtraheretur "raptus est^b ad Deum et ad thronum eius: c^c Mulier vero^d fugit in solitudinem" [Apoc 12, 5-6].

^a add. "suae propitiationis" (RLLM) ^b add. "filius eius" (BSV) ^c add. "et" (ibid.)
^d om. (ibid.)

⁴ Cf. PIOLANTI Antonio, "Riccardo di San Lorenzo": *ECat X, 861-862, ubi de eo legitur quod fuit "teologo del sec. XIII? et quod scripsit, inter alia, "Mariale" o "De laudibus B.M.V. libri XII" , a cui è legata la sua fama*".

⁵ RICHARDUS a S. LAURENTIO, "De Laudibus B. Mariae Virginis Libri XII", *Duaci 1625, Lib. II, col. 86 (Particula prima de causis quare Mariae serviendum, Causa 16: "quia sicut filius "est mediator Dei et hominum", 1 Tim 2, sic et ipsa nostra ad filium est mediatrix, qua scilicet mediante, venit ad nos filius Dei: et qua mediatrice ad filium pervenitur. Ad quod innuendum, Christus moriens etc.*").

Interea temporis erumpit ex aula coelesti divinae militiae Imperator, Michael, cumque sua legione draconem aggressus profligat, deicit, terrae allidit.

Iniquissime tulit hanc, sibi ab auxiliariis Divae illius copiis illatam stragem serpens antiquus: quapropter resumptis iterum viribus eandem persequitur. Verum datis illa sibi coelitus alis duabus tempestive denuo avolat in solitudinem: “Postquam vidit draco” (sic rem divinus vates describit) “quod proiectus esset in terram, persecutus est Mulierem, quae peperit masculum: et datae sunt Mulieri alae duae aquilae magnae, ut volaret in desertum in locum suum” [ibid., 13-14].

Pientissimus scriptor Bernardinus de Busto⁶ per hanc admirandam Mulierem sidereo diademate redimitam, Phoebea lampade cinctam, Lunae ceu scabello sacris plantis innitentem, et ingentibus alis instructam, ipsissimam V. Deiparam, iustorum et multo magis peccatorum Patronam et Advocatam singularem, omnino vult intelligi, dum sic visionem Ioannis explanat: “B. Virgo sub alis suis nos custodit, et ab insidiis nos protegit. Ipsa enim est Mulier, cui datae sunt Alae Magnae [d_{2r}]: una Ala misericordiae, sub qua peccatores confugiunt, ut Deo reconcilientur; alia est Ala gratiae, sub qua iusti consistunt, ut in gratia conserventur”⁷.

Sed cur prima Ala peccatoribus est protegendis assignata, iustis postmodum altera? Forte ideo: quod iusti possunt ipsi facile sibi impetrare Dei gratiam, cum semper fere sint in gratia; peccatores vero per peccatum inimici Deo facti, quo pacto illi possunt efficaciter supplicare, quandoquidem Deus peccatores non audit? Itaque hoc muneris B.V. Mariae com-

⁶ Cf. DI FONZO Lorenzo, “Bernardino de’ Bustis” : *ECat II, 1405-1406, ubi legitur quod iste “grande predicatore francescano” († 1513/15) “sulla Beata Vergine pubblicò [...] la sua opera maggiore e più diffusa, il “Mariale de singulis festivitibus B.V.M.”, composto nel 1492...*”.

⁷ Hunc textum non potui invenire, inveni tamen eandem ideam diversis verbis expressam: “Deus [...] ei [BMV] commisit [...] officium [...] super iustos et bonos, ut eos in gratia Dei custodiat. [...] Item super peccatores et malos, ut ad penitentiam recipiat et convertat. Et ideo appellatur mater misericordiae”, in: BERDARDINUS de BUSTI, “Mariale...”, s.l.e.a., Pars XI, Sermo II.

missum est, ut frequentior ac ferventior, et prope solis peccatoribus apud Deum suumque dilectissimum Filium patrocinetur. Quare illam devotissime hac de re compellans D. Germanus Patriarcha Constantinopoleos⁸: "aTu", inquit, "cum habeas Maternam apud tuum Filium fiduciam et potentiam, nos, qui sumus condemnati et non audemus intueri coeli amplitudinem, tuis interpellationibus et intercessionibus Deo nos efficis familiares, das salutem, ab aeterno liberas supplicio^a"⁹.

Hoc ipsum Deus ipse videtur nobis innuisse, cum, sic peccatores alloqueretur: "Videte, quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me. Ego occidam, et ego vivere faciam: percutiam, et ego sanabo; et non est, qui de manu mea possit eruere" (Deuter. 32[, 39]). Haec namque Divina verba doctissimus Richardus¹⁰ in dialogysmum solertissime disponens, et alia Christo Domino peccatorum Iudici, alia clementissimae eius Matri peccatorum advocatae tribuens, non absque magno solatio nostro in [d_{2V}] hunc modum ratiocinatur: "Saepe, quos Filii iustitia damnat, Matris misericordia liberat: quae scilicet iustitia Filii, et misericordia Matris videntur^b sic altercari. ^c Quasi dicat Iustitia ^d: «Ego occidam, et percutiam»: Misericordia Matris respondeat: "Et ego vivere faciam, et sanabo». Dicit etiam Misericordia Matris illud, quod sequitur: «Et non est, qui de manu mea possit eruere». Denique concludens hunc Dialogysmum disertus Pater ita stimulat et excitat peccatorem, ut ad Mariam quasi certissimum Asylon confugiat ab ira Dei: "Fugias igitur" (clamat Richardus) "sub protectionem^e manus

a-a "Quae enim materna polleas fiducia ac potestate, erga Filium tuum, peccatis praedamnatos, ac qui nec in coelum sursum suspicere audeamus, supplicationibus tuis ac intercessionibus servas, ac ab aeterno supplicio liberas" (PG) ^b videntur" (sic! - RLLM) ^c add. "Deuteronomij trigesimo secundo" (ibid.) ^d add. "filii" (ibid.; ALM: "Filii") ^e "protectione" (sic! - RLLM; ALM)

⁸ Cf. ORTIZ de URBINA Ignazio, "Germano I, patriarcha di Constantinopoli, santo († 733)": ECat VI, 179-180, ubi legitur quod "fra le 9 prediche di Germano rivestono speciale importanza per la mariologia 7 di esse...". Cf. etiam: CHELMICKI Zygmunt,, "German I, s. patryarcha konstantynopolski": PEK XIII-XIV, 110-111.

⁹ GERMANUS, "Homiliae de S. Virginis Deiparae Mysteriis", IX: "In S. Mariae Zonam": PG 98, 379-382.

¹⁰ Cf. supra, no. 4.

eius, [.....] et nihil timendum est”¹¹, nihil penitus, nihil. Non vehementia accusatoris, non magnitudo criminis, non furor iudicis, non vis infernalium tortorum, non aeternus carcer damnatorum.

O Urbem Refugii et potentissimam et pientissimam! in cuius tutela nihil est peccatori metuendum, nihil, nihil. O Matrem, longe quam dici aut cogitari potest, misericordissimam! in cuius gremium nocentes filii Adae ubi se receperunt, ab omni metu atque periculo mortis aeternae sunt immunes, et felicitis Aeternitatis acquirunt securitatem.

Profecto Dominus Deus noster, cuius bonitatis et clementiae nulli termini sunt, ne pro suae rigore iustitiae nos aliquando turpiter delinquentes punire severius aut perdere cogeretur, protectricem nobis V. Mariam eo modo providit apud se, quo Hebraeis olim apud regem Persarum ac Medorum patronam Hesterem paraverat. Persuasus fuerat ille rex [d_{3r}] (Assuero nomen erat) a sceleratissimo aulae suae delicio Amano, odium suum in Mardochoeum verum Israelitam explere conante: ut, quotquot in eius provinciis Hebraeorum numerarentur, uno eodemque die simul trucidarentur universi. Iamque fuit ferale decretum caedis istius horrendae ac impiae regia in urbe promulgatum, iam conclamatum erat de vita fortunisque miserimi populi: qui plenus desperationis metusque lugebat, eiulabat, lamentabatur, et ante ferrum gemitu doloreque concidebatur. “Pependit edictum in Susan, Rege et Aman celebrante convivium, et cunctis Iudaeis, qui in Urbe erant, flentibus” (Est 3, 15).

Sed en affulsit inopina spes omni spe destitutis. Hester enim Regina, genere Hebraea, de hac suae Gentis calamitate a Mardochoeo edocta, tam efficaces pro ea avertenda regi preces obtulit, ut non solum crudele edictum subito fuerit abolitum, sed insuper auctor edicti suspendio mulctatus: “Suspendus est Aman” (ait sacer codex) “in patibulo, quod paraverat Mardochoeo, et Regis ira quievit” (Est 7[, 10]).

¹¹ RICHARDUS a S. LAURENTIO, *op.cit.*, col. 89, in *Causa 21-ma*: “quia saepe quos...”. Item: ALBERTUS MAGNUS, *Lib. II*: “De laudibus B. Mariae Virg.? I, 23 (*Causa 21-ma*): “Opera omnia”, Parisiis 1848, p. 70.

Hester illa Iudaeorum liberatrix, typus erat Virginis benignissimae Terrae Coelique Reginae, protectricis peccatorum. Quis enim ignoret nostrum, quae sententia aeterni supplicii in peccatorem miserum lata est? "Anima, quae peccaverit" (loquitur Deus) "ipsa morietur" (Ez 18[, 20]). Quali morte? aeterna. Sic enim hoc suum funestum edictum horrendus Iudex declarat apud Athanasium in symbolo Fidei: "Qui mala egerunt, ibunt in ignem aeternum"¹².

O peccatores! O [d_{3v}] desperati! quorsum, quorsum vos tam tremendae et infelici sententiae subducetis? ecquis ab illa vos liberos faciet? quis absolvet? Nonne "a^aIntemerata, prorsusque pura Virgo, Deipara^a, Regina omnium, Spes desperantium?"¹³ Sic sentit D. Ephrem, Syrus¹⁴.

Ad hanc quemlibet consceleratum iubens recurrere Bernardus, eius deliciae: "Si criminum", ait, "immanitate turbatus, conscientiae foeditate confusus, Iudicis^b horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiae, desperationis abisso: cogita Mariam, [...] Mariam invoca. ^cIllam enim est propinqua nostra, illa contribulis nostra, illa de

a-a "Inviolata, integra, planeque pura ac casta Virgo Dei genitrix Maria" (ES)
 b "iudicii" (PL) c-c om. (ibid.) Probabiliter sunt verba auctoris OC.

¹² Cf. *Breviarium Romanum, Pars Hiemalis, Taurini-Romae 1952, pp. 61-63, Dominica ad Primam, "Symbolum Athanasianum", quod incipit: "Quicumque vult ...", et sub finem: "Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam: qui vero mala, in ignem aeternum"* Cf. MADOZ G., "Quicumque vult": *ECat X, 411-412: "simbolo entrato nel Breviario Romano col nome di Simbolo Atanasiano, perch  ritenuto per qualche tempo composizione di s. Atanasio"*.

¹³ EPHRAEM SYRUS, sermo "De sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae Laudibus": "Opera omnia", Antverpiae 1619 (ES), p. 541.

¹⁴ Cf. ORTIZ de URBINA Ignazio, "Ephrem, santo" (ca 306-372): *ECat V, 126-129: "Padre della Chiesa, il pi  celebre scrittore siro... Degnissima di rilievo   la mariologia di E., che gli ha procurato il titolo di doctor Marianus"*. Cf. ES, pp. 541s: "Tu peccatorum, et auxilio destitutorum unica advocata es, atque adiutrix. [...] Sub tuum praesidium confugimus, [...] sub alis pietatis atque misericordiae tuae, protege et custodi nos. Miserere nostri, qui sordibus peccatorum conspurcati sumus [...] Non nobis est alia, quam in te fiducia [...]". Aliquid simile in: "Threni, i.e. Lamentationes gloriosissimae Virginis Matris Mariae, super Passione Domini": "Opera Omnia", Romae 1732, t.III, pp. 575 et 577, ubi legitur: "Immaculata et intemerata, [...] unica spes desperantium".

genere nostro. Facilius quemvis audit, quam Deus offensus; quin hunc nobis ipsa conciliat^c15.

Hoc ipsum Hugo de S. Victore¹⁶: “Si pertimescis”, ait, “supplicaturus ad Deum accedere, respice ad Mariam. Non illic invenies, quod timeas: genus tuum vides”¹⁷.

”Iam veni mecum” (adicit eximius Virginis cultor B. Ildefonsus¹⁸) “ad hanc Virginem, ne sine hac properes ad gehennam. Veni: abscondamur sub velamento ^a, ne induaris confusione, sicut diploide”¹⁹.

”^bO peccator!” (exclamat Bernardinus de Busto²⁰) “ne te desperationis barathro immergi sinas, sed confidenter ad potentissimam hanc clementissimamque Advocatam recurre. Ipsa tibi succurret sine dubio, quia potest^b21. Immo debet; qua de causa? Nam ei peccatores in Ioanne, ut filii commendati sunt.

Nullum habeo dubium: unumquemque scire velle: cur Beatissima V. Maria sapientissimo Regi, inter varias, quibus eam ductu divini Spiritus

^a *add.* “virtutis eius” (IVM) ^{b-b} “ideo peccator ne permittas te desperationis barathro demergi, sed confidenter ad istam potentissimam et clementissimam advocatam recurre. Ipsa enim omnino tibi succurret: quia et poterit” (BBM)

¹⁵ BERNARDUS, “De Laudibus Virginis Matris, super «Missus est»”, hom.II: In Luc. I, 26,27, n. 17 : PL 183, 743, col. 70.

¹⁶ Cf. PIOLANTI A., “Ugo di San Vittore” († 1141) : ECat XII,711-712. Exstant eius opera de B.V.M., tum uti “esegesi biblica”: “Explanatio [in PL: “Explicatio] in Canticum B. Mariae V.”, tum “nel settore dogmatico-morale”: “De B.M. virginitate”; “De Assumptione B.V. sermo”. Cf. etiam: SIENNICKI Bronisław, “Hugo od św. Wiktora”: PEK XV-XVI, 384.

¹⁷ Non inveni hunc textum in “Opera Omnia” huius auctoris (PL 175-177).

¹⁸ Cf. MADDOZ G., “Ildefonso da Toledo, santo” (617-667) : ECat VI, 1620, ubi legitur: “sua opera principale” est “De virginitate S. Mariae contra tres infideles”, quod operum “è alla base di tutta la letteratura mariana in Spagna”.

¹⁹ ILDEFONSUS, “De Virginitate S. Mariae Liber [...]”, Parisiis 1576, f. 7v (c. IIII). Notandum est quod in frontispicio hoc opus dicitur “Beati Hildephonsi, Erchiepiscopi Toletani”.

²⁰ Cf. supra, no. 6.

²¹ BERNARDINUS DE BUSTI, “Mariale [...] de singulis festivitatibus beatae Virginis per modum sermonum tractans [...]”, s.l.e.a., Pars XII, Sermo II: “De coronatione Mariae”, f. EE2v.

adumbravit, figuras, etiam in Lunae specie fuit repraesentata. [d_{4r}] Hanc enim is conspicatus sciscitabatur: "Quae est ista, quae progreditur quasi Aurora consurgens: pulchra ut Luna, electa ut Sol?" (Cant 6[,9]). Intelligemus omnes hoc mysterium, postquam fuerimus recordati: quod officium a se conditae Lunae Deus imposuerat, cum illam coelesti firmamento affixisset, nempe: "ut praeesset nocti" [Gen 1, 16]. Quid autem hic putatis noctis nomine significari? Peccatores. Fassus hoc ingenue Paulus ex Saulo, ita scribens Ephesiis: "Eramus^a aliquando tenebrae: nunc autem lux in Domino" (Eph 5[, 8]).

Talem se et Augustinus, postea sanctissimus, non erubuit coram Deo profiteri his verbis: "Erat^b nubes magna et tenebrosa ante oculos vanitatis meae, ita, ut videre non possem Solem Iustitiae, et lumen Veritatis. Involvebar in tenebris, filius tenebrarum: tenebras meas amabam, quia lumen non cognoscebam. Caecus eram, et caecitatem amabam, et ad tenebras per tenebras ambulabam" (Sol. c. 38)²².

Quis demum dubitet, noctem frequenter in Divinis literis quadrare peccatoribus, si vel hunc unicum Solis Claravallenis²³ radium, quo sacram paginam illustrat, contempletur? "Nox est" (ait Bernardus) "Iudaica perfidia: nox ignorantia Paganorum: nox Haeretica pravitas: nox etiam, Catholicorum carnalis animalisve conversatio. An non nox, ubi non percipiuntur ea, quae sunt Spiritus Dei?"²⁴

"Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est^c adhuc, [...] in tenebris ambulat, et nescit, quo eat: quia tenebrae occaecaverunt oculos eius" (1 Io 2[,9-11]). Ita sentit dilectus Christo Apostolus. Si ergo peccatores sunt, Nox; ad his praebendum lumen

a "Eratis" (BSV) b add. "autem" (ASM) c add. "usque" (BSV)

²² AUGUSTINUS, "Soliloquia", cap. 33, 1 : AMS, pp. 203-204.

²³ Hoc modo denotatur s. Bernardus, quia monasterium Claravallensem (Clairvaux = Clara Vallis) in Ordine Circensiensium fundavit eratque eius Abbas primus.

²⁴ Non inveni hunc textum in "Opera Omnia" s. Bernardi: nec in PL 182-185, nec in ed. Parisiis 1615, sub verbo "Nox" in Indice Rerum et Verborum.

sanctissima [d_{4v}] V. Maria, cuius nomen ipsum sonat illuminatricem, a facie Dei “progreditur quasi Aurora consurgens: pulchra ut Luna, electa ut Sol”.

Attende, quam hoc fortissime et pulcherrime promoveat Romanus Pontifex Innocentius Tertius²⁵: “Maria^a”, inquit ille, “est ^b “Aurora consurgens: pulchra ut Luna, electa ut Sol [.....]”. Luna lucet in nocte, Aurora in diluculo, Sol in die. Nox autem est culpa, diluculum poenitentia, dies gratia. Qui ergo iacet in nocte culpae, respiciat Lunam, deprecetur Mariam, ut ipsa ^c cor eius ad compunctionem illustret. Quis enim de nocte invocavit eam, et non est auditus^d ab ea?”²⁶

Haec Mariam Aegyptiacam ex vase contumeliae in vas gloriae transformavit²⁷. Haec Theophilum e potestate daemonis ereptum coelo transcripsit²⁸. Haec Gulielmum Aquitaniae Ducem post seriam conversionem saeculi tenebris incautius rursus illabentem per subitanam caecitatem ad lucem inchoatae poenitentiae reduxit²⁹.

Dies me deficeret, si exempla eorum conarer enumerare, quos haec Luna versantes in nocte scelerum luci gratiae restituit. Quanquam et

a “*Ipsa*”(PL) b *add.* “*ergo*”(ibid.) c *add.* “*per Filium*”(ibid.) d “*exauditus*”(ibid.)

²⁵ Cf. MACCARRONE M., “*Innocenzo III, Papa*” (+1216) : *ECat VII*, 10s.

²⁶ INNOCENTIUS III, “*In eadem solemnitate [Assumptionis Gloriosissimae semper V. Mariae]*” : PL 217 (*Innocentii III Romani Pontificis Opera Omnia*), t. IV, col. 584 (*Sermo* 28).

²⁷ Cf. SAUGET Joseph-Marie, “*Maria Egiziaca*” : BS VIII, 982-984, ubi inter alia legitur quod ei gratiam conversionis B.V.M. “*Theotokos*” impetravit.

²⁸ Cf. JANIN Raymond, “*Teofilo di Cilicia detto il Penitente*” : BS XII, 340, ubi assertio auctoris OC confirmationem invenit.

²⁹ In vita Gulielmi X Ducis Aquitaniae nihil de eius “conversione” et “poenitentia”. Forsitan sermo est hic de Gulielmo da Malavalle, “*fälschlich mit Herzog Wilhelm X v. Aquitanien identifizierter*” (ELM K., “*Wilhelm v. Malavalle, hl.*”, † 1157 : LThK X, 1137), quia creditur quod hic in iuventute “*conducesse vita peccaminosa*” et post “conversionem” ivit “*in pellegrinaggio di penitenza a Roma*” (cf. TOSCHI Tomaso, “*Guglielmo da Malavalle, santo*” : *ECat VI*, 1258), sed nihil dicitur de eius “caecitat”.

hoc in favorem peccatorum factum est, quod sacratissima V. Maria non solum sit “pulchra ut Luna”, sed etiam “electa ut Sol”.

“Sol enim”, ita disserente Richardo a S. Laurentio, “tantae liberalitatis est, quod a nulla creatura quantumcunque faetente et sordida, si sit ei exposita, radios suos avertit: [.....] similiter et^a Maria a quantumcunque vilissimo peccatore ipsam fideliter invocante non^b avertit respectum pietatis suae”³⁰. Et quare avertat, quandoquidem unusquisque peccatorum ei fuit in Ioanne pro filio [e_r] commendatus: “Mulier, ecce filius tuus”?

Ades huc, o desperatissime peccator! qui iam scelerum tuorum gravitate ad ima tartara deprimeris, et conclamatum esse de tua salute existimas: ades huc, ad pedes Mariae recurre: “Ecce Mater tua”. Quid haeres? quid trepidas? quid obstupescis? Audin” quid de eius pietate pientissimus vates Baptista Mantuanus, sanctior montis Carmeli Virgilius³¹, occinat?

”Ipsa est adversis commune in rebus Asylon^c:
Ante preces etiam, necdum obsecrata favorem
Donat, et ad miseros maternas explicat ulnas.”³²

Optat hoc ipse Deus Pater misericordiarum, ut post eum in hac Matre nostra omnem fiduciam aeternae vitae nostrae collocemus. Nam illud sanctitatis prodigium, Catharinam Senensem, Dominicanae Familiae sidus illustre³³, hac ipsa de re sic quondam allocutus³³ est: “^aMariae uni-

a “nec” (RLLM) b om. “non” (ibid.) c “asylum” (BMPM)

³⁰ RICHARDUS a S. LAURENTIO, *op. cit.*, Liber VII, col. 448, F. 453, F. 454, A.

³¹ Cf. ANON., “Baptista Jan zw. Mantuanus” († 1516) : PEK 3-4, 97, ubi legitur quod is “wstąpił do Karmelitów” et quod “zdobył sobie wszechświatową sławę znakomitego poety”, qui scripsit “7 ksiąg “Parthenice”, poświęcone N.M.P.”.

³² BAPTISTA MANTUANUS, “Prima Parthenicae Virgo Maria” : “Omnia Opera Baptistae Mantuani Carmelitae”, Bononiae 1502, Liber Primus, f. c.lviii.

³³ Cf. CARTOTTI ODDASSO Adriana, “Caterina Benincasa da Siena, santa” (1347-1380), e Tertio Ordine Fratrum Praedicatorum : BS III, 996-998; cf. etiam: CARLI Enzo, “Caterina da Siena, santa” : ECat III, 1151-1158, ubi indicatur uti “Domenicana”, quia anno 1363 “entrò tra le Mantellate di S. Domenico”.

geniti Filii mei Genitrici gloriosae^a concessum est a Bonitate mea, propter incarnati Verbi reverentiam: quod quicumque iustus vel peccator, qui recurrit ad eam cum devota reverentia, nullo modo diripietur vel devorabitur ab infernali daemone^b. Nam ipsa est a me ^celecta, parata et posita, velut esca dulcissima ad capiendum homines, et praesertim peccatores^c34.

”Veniant” igitur “peccatores [...] ^dad eam^d” (concludo cum Fulberto Carnotensi³⁵) “tudentes rea pectora cum interno fletu; ipsi quoque, si vere poeniteant, desideratam veniam adepturi”³⁶.[e_v]

a-a “...Mariam unigeniti filii mei Genitricem gloriosam. Cui” (CSPD) b
 “Daemonio”(ibid.) ^{c-c} “velut esca dulcissima collocata, et electa pro capiendis hominibus, et animabus praecipue peccatorum” (ibid.) ^{d-d} om. (PL)

³⁴ CATHARINA Senensis, “De Providentia Dei”, in: “Dialogi [...] per D. Raymundum a Vineis Capuanum Theologum ex Italico sermone in Latinum conversi”, Tract. IV, Ingolstadii 1583, f. 223v (Cap. 139).

Vidi textum originale italicum in: CHATERINA da SIENA, “Libro della Divina provvidentia”, Bologna 1475, cap. 139. Cf. RICCARDI C., C.M., ed., “Il Messaggio di Santa Caterina da Siena, Dottore della Chiesa”, Roma 1988, P.III, Sezione I, cap. III: “La Provvidenza Divina nella Storia della Salvezza”, n. 569 (p. 349), ubi invenitur textus noster in lingua italiana moderna.

³⁵ Cf. DEL RE Niccolo, “Fulberto di Chartres” (ca 960-1028) : ECat V, 1799-1800, ubi legitur quod scripsit “9 sermoni, di cui cinque sulla purificazione e sulla natività della Madonna, della quale era particolarmente devoto”.

³⁶ FULBERTUS, s., Carnotensis Ep., “De Nativitate Beatissimae Mariae Virginis”, in: “Sermones ad populum”, Sermo IV: : PL 141, 324, B.

ORATORIS CRUCIFIXI
VERBUM IV

“Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?”

(Mt 27[, 46])

Vi orationis peccatori Deum reconciliari.

Impius Calvinus, quemadmodum totus blasphemias in suis dogmatibus olere videtur, ita in explicando hoc aeterni Verbi ad Patrem aeternum (quod notavit Cornelius) suspirio se singulariter impium ac blasphemum demonstravit. Affirmat enim hic Christum Dominum vocem desperationis emisisse¹; et quasi verum esset (quo ipsum scommate perstringebant Iudaei sacerdotes dicentes: “alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere” [Mt 27, 42]), omnipotentia exutum saluti suae succurrere non potuisse.

O faedam blasphemiam! o stultam, ac nefariam, sacrarum literarum interpretationem! Profecto sapientius et sanctius in hoc verbum Domini nostri [e_{2r}] animadvertens D. Leo²: “Vox ista”, inquit, “^anon querela, sed doctrina est^a”³. Cum enim ad Deum Patrem incarnatus eius Filius suspirat in tormentis, ad illum, inquam, Patrem, cui semper est aequalis, non tam se queritur derelictum, quam nos docet: tum ferventissime, cum a Deo fuerimus derelicti, ut eum revocemus, orationi insistere; ut eum reconciliemus, instantissime deprecari. Quod uberrime iam confirmo.

a-a “doctrina est, non querela” (CChrL)

¹ Cf. CORNELIUS a LAPIDE S.J., *op.cit.*, t. II, “[Commentarius] in Sanctum Matthaeum”, pars II, p. 391: “Impie ergo Calvinus [...] ait haec esse Christi desperantis verba; debuisse enim Christum omnem Dei iram peccatis nostris debitam experiri, ac per consequens damnatorum poenas sentire, inter quas una est desperatio”.

² CAPUA Fr. Di, “Leone I, Papa, d.to Magno, s.” (†461) : ECat VII, 1139.

³ LEO MAGNUS, *Tractatus* 67: “De Passione Domini” : CChrL 138A, p. 412.

Duabus ex causis homini se Deus amat subducere. Vel, cum vult experiri: quid suis viribus valeat, aut saltem velit, homo; qui proprio natet cortice, tametsi non ignoret haud aliquid eum sine coelestibus auxiliis posse. Vel, cum idem, admissa lethali culpa, Deum a se fugat, et in ius infernalis genii sponte transit. Quod aliquando optimus Dominus apud Ieremiam conquestus dicebat: “Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt, fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas^a dissipatas, quae continere non valent aquas” (Ier 2[, 13]).

Populus Dei sumus omnes, quousque mandatis eius paremus, quousque ab eius nutibus pendemus. At ubi turpi aliqua nostrum animum labe coinquinamus, recedentes a Creatore ad creaturas, rebelles eidem continuo sumus, et atrocissimo Orci tyranno mancipamur. Bibimus ex fonte bonorum omnium dum sumus (ut aiunt theologi) in gratia; hac autem per peccatum spoliati, turbidissimam ex Cocyto⁴ atque Styge aquam haurimus. Quam faedis mergimus ora vadis, quum daemonum invitationibus non [e_{2v}] reluctamur. Huc omnino collimavit admonitione sua doctor orbis Hieronymus⁵, cum Dei verba memorata exponeret: “^bAttendendum est^b” (dicit) “quod fons perpetuus est, et vitales habet aquas; cisternae autem et lacus, vel de torrentibus, vel ex aquis turbidis terra^c complentur et pluviis”⁶. Deus igitur, “qui fons est vitae”, daemones “dissipatas cisternas vocat^d”. Tales cisternas fodit sibi, quisquis faedo maculatus facinore Deum nefarie deserit, et in demonis venit potestatem: qui relicto Fonte Vitae mortis authorem secatur: cui Circaeae pocula nectare coelesti sapidiora sunt.

Sed iam quaerendum est: Quo igitur modo fugatus a nobis faetore peccati Deus revocandus est? fragrantia, dico, orationis.

^a *add.*, *cisternas*” (BSV) ^{b-b} “*Et hoc attendendum*”(CChrL) ^c “*terrae*”(ibid.)

^d *add.* “*eo, quod dei mandata servare non valeant*”(BSV)

⁴ CNLD, s.v. *Cocytus*: “*a river of the lower world*”.

⁵ Cf. CAVALLERA Ferdinando, “*Girolamo, santo*” († 420) : *ECat VI*, 652-661. Cf. etiam: PRZEŹDZIECKI Henryk, “*Hieronim Sofroniusz E.:PEK 15-16, 242-246: “napisał... komentarze znakomite na Proroków...”*”

⁶ HIERONYMUS, “[*Commentarius*] in Hieremiam” I, 22 : CChrL 74, 17-18.

Delectatur factore daemon, odore Deus: hoc expellitur ille, hic attrahitur. Sacrae literae, magistrae virtutum, luculentissimo testimonio id ipsum confirmant. Ibat Tobias iunior cum Archangelo Raphaele⁷, sub humana specie fidissimi Achatis⁸ occultato, in Rages Medorum: cumque vicinum Tigri fluvio iter carperent, incessit Tobiam desiderium fluminis ingrediendi, forte ut lassos pedes aqua recrearet. Quod dum magis avidè quam caute perficit, "ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum" (Tob 6, 2). Pene mortuus prae terrore considerat nobilissimus adolescens; quod tamen in tali casu proximum iuvamen erat, comitem invocans: "Domine, domine,^a" (clamabat) "invadit me" [Tob 6, 3]. Raphael animans perterritum iubet, protinus ut piscem intrepidus [e_{3r}] apprehendat, extrahat in ripam, occidat, exenteret, atque cor eius et fel et iecur recondat. Facit imperata strenue summo periculo defunctus iuvenis, et simul familiariter comitem sapientissimum rogat: cui bono piscis intestina servarentur? Hic Raphael de mira eorum virtute rogantem informans: "Cordis", ait, "particulam, si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus daemoniorum, sive a viro, sive a muliere, ita, ut ultra non accedat ad eos" [ib., 8]. Probatum hoc denique est, cum Tobias vinculo matrimonii Sarae filiae Raguelis, quem adierat causa recipiendi debiti, copulatus, ab ea fortissimum daemonem, aliquot iuvenum ante se triumphatorem, fumo ex corde istius piscis excitato fugavit⁹.

Quod Lyranus egregius divinarum literarum interpres¹⁰ expendens, appositissime rei praesenti hunc fumum illustrat: "Fumus ille" (verba

^a om. alterum "domine," (BSV), dum in editionibus modernis verba: "dicens: Domine, invadit me" desunt.

⁷ Cf. Tob 5,5-28.

⁸ CALONGHI F., *Dizionario Latino-Italiano*, s.v. Achates: "il fido compagno di Enea".

⁹ Cf. Tob. 6,19; 8,2-3.

¹⁰ Cf. KLEINHANS Arduino, "Niccolò di Lira (lat. Lyranus)" († 1349) : *ECat VIII*, 1822, ubi legitur: "Esegeta francescano [...]. La grande fama di N. e la stragrande diffusione della Postilla [Postillae perpetuae in Vetus et Novum Testamentum] si spiega dal fatto che egli ha esposto chiaramente e brevemente il senso letterale della S. Scrittura, con piena conoscenza dell'ebraico". Cf. ANON., "Mikołaj z Liry" : *PEK XXVII-XXVIII*, 64.

sunt Lyrani) “ex igne procedens, significavit ^aorationis virtutem^a Tobiae ^b et Sarae, cuius merito Angelus Raphael expulit daemonem a Sara”¹¹.

Ut hoc melius percipiatur, concedendum est philosophis: *duo contraria non posse simul esse in uno eodemque subiecto*; mutuo namque pugnant, donec a fortiore debilius extrudatur. Quid vero gratiae Dei magis adversatur, quam peccatum? quid ipsi Deo magis odiosum ac inimicum, quam daemon?

Vultis igitur Dei gratiam qua vos peccatum spoliavit, recuperare? Vultis Deum, quem scelesta in daemonem propensione fugastis a vobis, iterum in vestra pectora revocare? Expellite prius inde ardentis orationis suffitu peccatum, o peccatores! [e_{3v}] atque simul eius auctori stygio tyranno nuntium remittite: mox et gratia Dei, et ipse Deus ad vos revertentur. “Fumus ex igne procedens” intestinorum piscis adusti expulit daemonem a Sara; Deum vero illi conciliavit. Oratio enim, ut daemonei exosa est, ita Deo grata: fugat daemonem, invitat Deum, immo trahit in cor orantis ceu vinctum.

Noemi pietas hic nobis esse potest exemplo. Postquam Noemus, totius orbis Navarchus¹², ex Argo¹³ illa universi conservatrice in terram, diluvii subsidentibus aquis, exscendit, primo sibi coeleste Numen conciliandum ratus, “aedificavit [.....] altare ^c, et tollens de cunctis pecoribus et volucris mundis, obtulit holocausta super altare”[Gen 8, 20]. Quid interea? “Odoratus est Dominus odorem suavitatis, et ait: Nequaquam ultra maledicam terrae propter homines: sensus enim, et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci” [ib., 21].

a-a “virtutem orationis” (LP) b add. “iunioris” (ibid.) c add. “Domino” (BSV)

¹¹ LYRANUS Nicolaus, “Biblia Sacra cum Glossa Interlineari, et Nicolai Lyrani Postilla, [...]”, t. II, Venetiis 1588, f. 288r;D : Glossa ord. Tobiae, cap.VI.

¹² Cf. Gen, 7-8. Notandum est quod nomen “Noemus” in Biblia Sacra Vulgatae formam hebraicam indeclinabilem “Noe” habet.

¹³ CNLD, p.57: “the ship Argo, in which many Greek heros sailed to Colchis, under Jason, to fetch the Golden Fleece”. Cf. PARANDOWSKI Jan, “Mitologia”, Warszawa 1990, p. 112: “okręt Argo, który wiozł Jazona na wyprawę po złote runo”; v. pp. 234ss.

Per Deum! unde haec repentina mutatio Dei? Qui antea dicebat iratus: “Maledicta terra [.....]; spinas et tribulos germinabit” [Gen 3, 17-18]. Nunc longe diversa: “Nequaquam”, ait, “ultra maledicam terrae”. Antea “tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo”, inquebat, “hominem [.....] a facie terrae, ab homine usque ad animalia^a, a reptili usque ad volucres coeli: poenitet enim me fecisse eos” [Gen 6, 6-7]. Nunc totus placatus et placidus, totus bonus et suavis, aliud recinit: “Non ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci”. Unde isthaec tam subita mirabilisque in eo praesertim, qui non mutatur, [e_{4r}] metamorphosis? Quia “odoratus est” (uti docet sacer codex) “Dominus odorem suavitatis”(Gen 8[, 21]). Quasi diceret: Eo usque irascebatur, furebat, delebat orbem Deus: quousque acerbissimus factor humanorum scelerum nares eius opplebat; ubi vero odor suavitatis, odor poenitentiae, odor deprecationis, odor orationis, easdem recreavit, subito quasi mutatus in alium dextram cohibet, optimamque terrae faecunditatem, et humano generi incolumitatem ac pacem pollicitus, “nequaquam maledicam terrae”, dicebat: “non ultra percutiam omnem animam viventem”.

O beatum odorem, qui terrae, ac terrigenis, tam plene Deum reconciliavit! Sed quaeri hic potest: qua ex re tam gratus Deo hic odor emanavit? Ex carnibusne animalium immolatorum? an aliunde? Primum non potest asseri: cum potius ex illa carniū combustione fumus ac nidor ingratus prodisse debuerit. Igitur alia fuit odoris illius origo, et quidem tanti, qui nidorem carniū sua fragrantia suppresserit. Affirmatissime hoc aurea celebris eloquentia Pontifex¹⁴ enuntians: “Animus”, ait, “offerentis fumum, et nidorem, et ^bomnem insuavitatem, quae inde” (nempe ex animalibus combustis) “nascitur^b, multa fragrantia implevit”¹⁵.

^a “animantia” (ibid.) ^{b-b} “omnem, quae inde nascitur, insuavitatem” (PG)

¹⁴ Hoc modo S. Ioannes Chrysostomus († 407), archiepiscopus Constantinopolitanus, denotatur. Cf. supra, Verbum I, no. 16.

¹⁵ CHRYSOSTOMUS Ioannes, “Homiliae in Genesim” 27, 2 (In Cap. VIII Gen.): PG 53, 242.

”Nec enim caro Deus^a est” (ut subdo ex Ruperto¹⁶) “aut corpus, ut talium^c delectetur odoratu. Sed quia spiritus est et in hostiis corporalibus offerentis cor intuetur, et si pium est, contritione eius delectatur suavis Dominus, plus quam homo corporali, quantumvis suavi odore mulcetur”¹⁷. Vide, vide, quam grata sit optimo Deo fluens ex pio [e_{4v}] contritoque corde: quam fortiter factorem commissorum peccatorum dissipet: quam odore suo Deum faciat homini placatissimum.

Iam hoc ipsum producto ab aeterna Veritate exemplo illo decantatissimo comprobemus. “Duo homines” (dicebat Dominus noster) “ascenderunt in templum, ut orarent” (Lc 18[, 10-14]). Quinam? aut quales? “unus Pharisaeus, ^b alter Publicanus”. Praeclari ambo: Arcades ambo. Audienda omnino utriusque oratio. Quid igitur intra labia iactas, Pharisaeae? “Deus”, ait, “gratias tibi ago”; quamobrem? “quia non sum sicut ceteri homines^c, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic” (respexerat illum simulque despexerat) “Publicanus”. Videris bene orasse, Pharisaeae. Gratias enim Deo egisti pro conservatione tui in statu gratiae. Nec male prorsus agis, quod te peccatoribus non conformes, quos ipse Deus odit. Verum ego hoc de te iudicium formo; Iudex aeternus, an simile, adi Lucam, intelliges.

Interea, heus tu etiam Publicane, quid oras in terram submissis oculis? quid pugno feriens pectora suspiras? “Deus”, inquit, “propitius esto mihi peccatori”. Itane? tu peccator es? idcirco terram aspicias, coelum non audes. Sed, amabo: tunc Deum fugatum per scelera e corde tuo iterum, peccata hinc extrudendo pugno, satagis huc revocare? Advertam protinus: an aliquid hoc orandi modo sis profecturus aut effecturus. Profecit omnino, et plurimum effecit. Nam, quod vix sper-

a “ipse” (RTST) c “alium” (ibid.) b add. “et” (BSV) c “hominum” (BSV)

¹⁶ Cf. PIOLANTI Antonio, “Ruperto di Deutz (Rupertus Tuitiensis)” (n. ca 1075) : ECat X, 1446-47, ubi de eo legitur: “Teologo e abate beneditino”, “Scrittore... toccò prevalentemente temi esegetici e teologici”.

¹⁷ RUPERTUS TUITIENSIS, “De Sancta Trinitate et Operibus eius”, Commentarium in Genesim IV, 28 : CChrM 21, 314.

are audebat, reconciliato sibi Numine supremo, "descendit iustificatus in domum [f.] suam". Iustificatus? qua ratione? "In corde contrito ^a ", ait D. Paulinus¹⁸, ep. 18, "sui accusator accipitur, et obtinet veniam de confessis peccatis"¹⁹. Haec est perfecta iustificatio, remissio peccatorum, Dei ad cor poenitentis reversio. Quanta vis humillimae orationis hoc efficientis!

Evangelistarum alter D. Marcus, ex illa muliere, "quae erat in civitate peccatrix" [Lc 7, 37], asserit septem daemonia virtute nostri Servatoris eiecta fuisse²⁰. Quid fuit infelicius hac anima, quam Deus a se relictam, tot tamque diris carnificibus (intelligo vitia) insidendam permiserat? Is tamen, qui, non iustos, at peccatores venerat salvaturus²¹, hanc miserrimam energumenam non liberavit modo, sed insuper ad tantum et sanctimoniae et gloriae gradum evexit, ut difficile sit definire, quod opus excellentius fuerit omnipotentiae bonitatisque Divinae: mundine ac rerum omnium creatio, an Magdalenae conversio?

Si tamen scire velis, quid illam gratiam maximae peccatrici apud generis humani reparatorem conciliavit, accede D. Lucam, et principem Doctorum Augustinum, disces. Divus quippe Lucas narrat²²: hanc famosissimam mulierem, septem daemoniis insessam, in domum pharisaei cuiusdam, quum ibi Christus coenaret, audacissime irruisse: ad pedes Christi proruisset: hos multo lachrymarum imbre non rigasse tan-

^a *secundum indicationem auctoris, inter errores corrigendos indicatur: "post contrito corde, adde oratio", sed hoc verbum nec invenitur in allegato textu D. Paulini, nec videtur necessarium ad eius sensum clarificandum.*

¹⁸ Cf. Rapisarda Emanuele, "Paolino, vescovo di Nola, santo" († 431) : *ECat IX*, 701-703. Cf. etiam: Prete Serafino, "Paolino, Ponzio Meropio Anicio, vescovo di Nola, santo" : *BS X*, 156-162, ubi inter eius scripta enumerantur "51 Epistulae, che vanno dal 395 al 426".

¹⁹ Paulinus Nolanus, Pontius Meropius, s., "Epistulae", Ep. L ("Augustino Paulinus"), c. 3 : *CChrL 29/I*, 406, vv. 15-16.

²⁰ Cf. *Mc 16, 9*; *Lc 8, 2*.

²¹ Cf. *Mt 9, 13*; *Mc 2, 17*; *Lc 5, 32*.

²² Cf. *Lc 7, 37-48*.

tum, sed etiam lavisse; lotos pretiosissimo liquore perfudisse, perfusos ornamento singulari sui capitis, cirris inquam flaventibus, tersisse: ac propterea ab internis tortoribus ibidem exsolutam [f_v] illa Divini oris suavissima verba excepisse, illam tesseram reconciliati sibi Numinis, illam cautionem remissorum debitorum, illud aeternae Regis aeterni amicitiae symbolum: “Remittuntur tibi peccata” [Lc 7, 48].

Porro Augustinus totum hoc negotium admirabile et obstupescendum diligentissime, prout par erat, expendens orationi tacitae, verum efficacissimae attribuit: “Fudit lachrymas cordis” (ita de Magdalena Iesum deprecante disserit) “et lavit Domini pedes obsequio confessionis, capillis suis tersit, osculata est, unxit. Tacita loquebatur, non sermonem promebat, sed devotionem ostendebat”²³. Ideo promeruit audire: “Remittuntur tibi peccata”. Fugatis daemioniis, iam in te mea gratia, amor mei, non amor saeculi, (Deus hoc dicebat, Deus efficiebat) aeternum permanebit.

Quisquis es a Deo desertus, a malo genio possessus, spoliatus gratia, delictis oneratus; ingemisce, tunde pectora, funde lacrymas, clama, clama: “Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?” et redibit in te virtus ex alto, fugabuntur daemonia, remittentur peccata; gratia, gloria, Deo, repleberis. “Qui enim” (cum Isidoro Pelusiotae²⁴ concludo) “pectus et viscera sua compunctione percutit, et flebilium sermonum choros adiungens poenitentiae calamum in pixidem moeroris lachrymarum nocturnarum intingit: morte Christi pro peccatoribus suscepta non frustrabitur”²⁵. [f_{2r}]

²³ *Textum hic allegatum in operibus S. Augustini secundum Indicem generalem ad ea annexum invenire non potui.*

²⁴ Cf. BENEDETTO Filippo di, “Isidoro di Pelusio, santo? (+ ca 434) : ECat VII, 254, ubi de eo legitur: “scrittore ecclesiastico?, “interprete della S. Scrittura?, et de eius operibus: “L?unica opera pervenuta ã L?Epistolario - lettere distribuite in 5 libri?.

²⁵ *Textum hic allegatum in operibus s. Isidori Pelusiotae in PG 78 secundum Indicem analiticum invenire non potui.*

ORATORIS CRUCIFIXI
VERBUM V
“Sitio” (Io 19[, 28])

*Sitim animarum, qua Christus torquetur, earundem
conversioni maxime conducere.*

Narrat Surius, celebris prorsus e Carthusiana familia scriptor¹, Landelinum quendam e prima Gallorum nobilitate iuvenem cognatorum pessimis conatibus a religiosae vitae proposito retractum, permissis aetati fervescenti licentiaeque fraenis, praedonum tandem societatem invisisse. Quorum deinde factus antesignanus, cum quadam nocte alicuius opulenti Croesi direpturus aedes manipulos colligeret suorum, unum sibi e carioribus repentino mortis ictu trucidatum deesse animadvertit. Obrutus propterea moerore animi loco praedae quieti se dedit; et en videt per somnium illum ipsissimum, cuius fato affligebatur, a non bonis geniis in orcum abripi, se autem ab optimo (tutelariorum erat) his interpellari: “Heus, an et nunc socius huius eris?” [f_{2v}] Territus ille viso inferni barathro, noluit suo Pirithoo Theseus esse²; sed a somno et vitiiis expergefactus ita mutatus est, ut post visitata ter Divorum Apostolorum limina, post extructa complura coenobia, post edita miracula, cilicio et cineri incubans ultimum diem sanctissime obiverit³.

¹ Cf. PASCHINI Pio, “Surio (Sauer), Laurentius” († 1578) : *ECat XI, 1584-1585, ubi is describitur uti “scrittore certosino”, cuius “più nota e diffusa la collezione De probatis sanctorum historiis (1576-81) - una nuova edizione in 12 voll. nel 1618 [...] ricondusse le vite alla forma originaria?”.*

² *Sermo hic est de Pirithoo, “friend of Theseus, with whom he went down to the lower world to carry off Proserpina” (cf. CNLD, s.v. Pirithous, -i).*

³ Cf. SURIUS, “*Historiae seu Vitae Sanctorum*”, vol. VI (Junius), *Augustae Taurinorum* 1877, pp. 353-357, Junii 15: “*Vita B. Landelini Abb. Crispin.*” († 686), *ubi haec historia narratur; attamen loco allegationis: «Heus, an et nunc socius huius eris» legitur: “Astitit Angelus Domini, et voce terribili dixit ei: «Cerue iam Landeline proemia laboris tui: vide ut anima socii tui ad infernorum aeterna suppli-*

Tantum Landelino profuit vivo ad inferos descendisse et balneum sceleratis paratum non frustra, licet in somnis, oculis mentis perlustrasse.

Verum ego hic nolo quenquam horrore cruciatuum aeternorum ad bonam frugem revocare: sit unicuique potius hanc ad rem stimulo ardentissima Filii Dei sitis, qua vehementissime animarum nostrarum salutem nunquam non sitit; quam explicatissime huius rei gratia propono.

Rogo te, qui legere dignaris hunc discursum: ut si te gratia Dei provexit ad excelsum perfectionis gradum, magis adhuc Deo placere coneris: sin per amorem rerum creatarum procul a Creatore tuo elongasti, “Verte gradum”, obsecro, “non est bona semita, verte; Hac, periere omnes, quotquot iere via”⁴. Verte gradum, et sitienti Iesu conversionis tuae calicem opta tissimum propina.

Emendatissimus ille Regum lapsorum David, prout sacri fasti memorant⁵, latenti sibi metu persecutorum in spelunca Odollam excitari sensit ingentem appetitum limpidissimi fontis, ad paternae Bethlehem portam cristallino liquore homines ad se rapientis, at eo temporis ab hostibus Azophilis circumsessi. Itaque non dissimulans, quod erat, coram suis commilitonibus in haec verba [f_{3r}] exclamavit: “O si quis mihi daret potum aquae de cisterna, quae est in Bethlehem iuxta portam!” (2 Reg 23[, 15]).

Admirari quispiam possit Regis huius non minus fortissimi, quam sanctissimi tam exiguam mortificationem, tam vero gravem sensualitatem minime dissimulatam, ob quam tres Heroes fortissimos exercitus sui, qui satisfacturi palato eius per medios hostium cuneos ad cisternam penetrarant, in apertissimum discrimen coniecit: simulque reprehendere

cia pertrahatur: simulque considera, utrum tibi praestabilius sit ita protrudi in barathrum aestuantis gehennae, an nobiscum potius perfrui gaudiis sempiternis». Cf.: - D’HAENENS Albert, “Landelino, abate di Lobbes, santo” : BS VII, 1091-92; - S.S./SPIS Stanisław?, “Landelin” : EKOść XI, 598: “O L. BollandyńŹci podaję pod dn. 15 czerwca dawnę i wiarogodną biografię, z ktorej da się wyciągnęć co następuje. (...)”.

⁴ Est probabiliter allegatio ex ignoto nobis opere alicuius poetae.

⁵ Cf. 1 Par 11, 15-19.

Davidem, quod cum esset bellator veteranus, eo loci se cum exercitu posuerit, ubi rei pernecessariae, nempe aquae, penuria laborandum erat.

Verum ego magnum hic mysterium deprehendo. David enim iustissimus, typus erat mundi Servatoris. Quod inter alios Patres D. Remigius⁶ clarissime his verbis insinuans: "David", inquit, "interpretatur manu fortis, vel visu desiderabilis. In quo significatur Christus: qui est manu fortis, quia vicit diabolum, et spolia eius distribuit: visu desiderabilis est, quia non solum homines sed et Angeli desiderant videre eum"⁷.

Ergo David sitiens Christum sitientem denotabat. Sed quo totam rem perfectius capiamus, videndum est: quid Bethlehem, cuius ad portam tam nobilis cisterna reperiatur, quae etiam figurato David Christo mirificam sitim accendit, significet. "Bethlehem", ait Gregorius Magnus, "domus panis interpretatur"^a⁸. Penes hunc panem reperiatur aqua: nam Dominus Iesus nihil esurivit unquam, nihil sitivit, praeter salutem animarum. Unde, cum aliquando illum discipuli sollicite rogarent: [f_{3v}] "Rabbi, manduca", respondisse illis fertur: "Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis"; utque melius eum caperent, adiecit: "Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius" [Io 4, 31-34].

Quod opus? - "Hominum vocationem", inquit Albertus ille Magnus⁹, "conversionem, et ad Patrem reductionem"¹⁰.

a "dicitur" (PL)

⁶ *Inter autores huius nominis solus Remigius di Auxerre est denotatus uti exegeta, sed non indicatur uti Sanctus et non scripsit commentaria super libros S. Scripturae ubi sermo est de Davide.*

⁷ *Textum hic allegatum invenire et verificare non potui.*

⁸ GREGORIUS MAGNUS, "In I Reg. Expositiones" : PL 79, n. 375.

⁹ Cf. WALZ Angelo, "Alberto Magno", *santo, dottore († 1280)* : ECat I, 698-705.

¹⁰ ALBERTUS MAGNUS, "Enarrationes in Ioannem", *In Evang. Ioannis, c. IV, 34, in: "B. Alberti Magni Ratisbonensis Episcopi, Ordinis Praedicatorum Opera Omnia", Parisiis 1898, vol. 24, p. 180.*

Cum igitur Servator noster in persona Davidis expetebat aquam de cisterna Bethlehemitica, “esurivit et sitivit”, quemadmodum notavit Mediolanensis Praesul¹¹, “non cibum aut potum humanum, sed salutem”¹².

Liceat hanc ardentissimam animarum sitim, quae Dei Filium continuo torquet, clarius intueri. Docent naturalis historiae scriptores, quoddam serpentum genus (dipsades vocant) reperiri: qui dum hominem admordent, adeo noxium venenum in eum transfundunt, ut repente potum appetat, et sitim tamen bibens continuo non restinguat.

Nunc ad rem. Serpens ille antiquus, diabolus, morsis Parentibus nostri generis tam dirum in eos virus effudit, ut omnes moriamur in Adam. Quamvis autem verissimum sit, Christum Dominum nequaquam hoc virulento tartarei dipsadis toxico afflatum fuisse, cum et ex Matre serpentis huius domitrice, quae nec ipso peccato, nec peccati fomite fuit affecta, sit ortus; et hoc praesertim fine carnis humanae indumento vestitus, ut pesti huic pharmacum afferret; quia tamen pro sua in nos charitate nostras infirmitates ipse assumpsit, et languores nostros, teste Propheta¹³, tulit atque dolores portavit, “in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo” [Phil 2,7], tanta [f_{4r}] siti animarum nostrarum salvandarum assiduo flagrabat, ut quoddam modo a stygio dipsade ictus videri potuisset.

Hinc eleganter purpuratus Hugo¹⁴: “Mirum est”, ait, “quod [.....] Fons sitit: [.....] sed haec omnia propter nos”¹⁵.

¹¹ Ita certo certius s. Ambrosius, Doctor Ecclesiae, denotatur; qui ab anno 374 Episcopus Mediolanensis exstitit. Cf. FALLER Otto, “Ambrogio, santo” : ECat I, 984-1000.

¹² Textum s. Ambrosii hic allegatum in PL invenire non potui, nec in s. Ambrosii “Apologia Prophetae David”, nn. 34-35, ubi datur commentarium super Davidis petitionem pro aqua.

¹³ Cf. Is 53, 4.

¹⁴ Cf. PENNA Angelo, “Ugo da San Caro (Hugo a Sancto Caro)” († 1263) : ECat XII, 711, ubi describitur uti “dotto esegeta e teologo”, qui “nel 1225 entrò tra i Domenicani” et “nel 1244 fu nominato cardinale da Innocenzo IX”, “compose non pochi lavori biblici”. Cf. etiam: PRZEŹDZIECKI Henryk, “Hugo, Kardynałowie”, 2) H. a S. Caro : PEK XV-XVI, 385.

¹⁵ HUGO, “In Evangelium secundum Ioannem”, cap. IV : “Ugonis de S. Charo S. Romane Ecclesiae tit. S. Sabinae Cardinalis Primi Ordinis Praedicatorum, tom. VI,

Ille, qui quondam clamabat in medio templi Ierosolymitani: "si quis sitit, veniat ad me, et bibat" [Io 7, 37], etiam per Davidem sitim suam aperiens clamabat: "O si quis mihi daret potum aquae de cisterna, quae est in Bethlehem iuxta portam!" Et "haec omnia propter nos". Pergamus ulterius.

Tendebat Iesus, prout refert dilectus ei discipulus, ex Iudaea in Galileam per Samariam: cumque venisset in civitatem Sichar, "fatigatus ex itinere, sedebat sic super ^afontem hora quasi sexta^a" (Io 4[, 6]). Interea venit mulier cum hydria aquam haustura. Cui ille: "Mulier^b, da mihi bibere" [ibid., 7]. O feminam, terque quaterque beatam: a qua ille potum petit, qui liquorum omnium creator est! Ocyus, ocyus immerge fonti hydriam, et omnium bonorum Fontem frigida tua recrea. Non vult. Quomobrem? quia se agnoscit Samaritanam. "Quomodo tu", (sic audet cum aeterna Sapientia disputare) "Iudaeus cum sis, bibere a me poscis, quae sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudaei Samaritanis" [ibid., 9].

Vultis forte iam nosse, curiosi mortales, cuius momenti erat haec ratio, ob quam Christo potus a Samaritana denegatus est? Audite igitur suavissimum Clarae Vallis Abbatem¹⁶ hac de re sic disserentem: "Samaritana", ait ille, "interpretatur anima vana, quae quaerit tantummodo lascivias, delectationes, luxuriam, avaritiam, [f_{4v}] et omnia desideria mundi" (t. 4, ser. 24)¹⁷. Itane? Hoc erat illa Samaritana! vana, lasciva, luxuriosa, avara,

in Evangelia secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, Ioannem", Coloniae Agrippinae 1621, f. 304v (ad verba: "Dicit ei Iesus: Da mihi bibere").

^{a-a} fontem. Hora erat quasi sexta" (BSV) ^b om. "Mulier" (BSV)

¹⁶ Ita certo certius denotatur s. Bernardus Claravallensis (+ 1153), qui uti religiosus Ordinis Cisterciensis fundavit "una nuova colonia religiosa, messa sotto il patrocinio di Maria S.ma, chiamata poi Chiaravalle (Clairvaux) ch?egli governÀ per 38 anni come abate?. Cf. OPPENHEIM Filippo, "Bernardo di Chiaravalle, santo e dottore della Chiesa? : ECat II, 1423ss.

¹⁷ Textum hic allegatum in "Opera Omnia? s. Bernardi in PL 182-185 et in ed. Parisiis 1615 secundum "Indicem Rerum et Verborum? sub omnibus verbis huius texus invenire non potui. Indicatio "t. 4, ser. 24" non adiuvat, quia non habeo accessum ad editionem sermonum s. Bernardi, qua auctor OC usus est et in qua hi sermones in modo diverso divisi erant.

plena desiderii mundi. Quis ergo miretur, eam Iudaeo vero, talium vitiorum hosti maximo, noluisse haustum frigidae impertiri?

Sed expende iam, quanta siti Iesus premebatur, cum ab hac muliere potum flagitaret: quanto, inquam, salutem huius animae vanae, ac effrontis et immansuetae, desiderio expetebat. Docet enim Albertus Magnus, quod “plus sitivit salutem animae^a, quam potum aquae”¹⁸. Primo namque eius causa “fatigatus” erat festinando celerrime ad civitatem; ne tempus, quo ventura fuit ad puteum, sibi cognitum ab aeterno, praeteriret. “Noverat enim Dominus” (dicit aureus Doctor¹⁹) “quam horam captandae quieti ceteri dabant, hac illam solere aquae adhibendae vacare: propterea hora sexta abiit”²⁰. “Et ne videri possit casu venisse” (addit Burgensis²¹) “qui omnia dispensat, mentem illius arcano ducebat impulsu, ut tunc veniret, quando Fons vitae, Christus, ibi erat”²². Quia vero illam tempore praevenit, “more fatigati” (ait Caietanus²³) “innixus fonti, puta, applicato brachio super labium fontis ad sustinendum caput, ^beam praestolabatur^b. Sic enim solent fatigati sedere”²⁴.

a “feminae” (AEI) b-b om. (CEC)

¹⁸ ALBERTUS MAGNUS, “Enarrationes in Ioannem”, In *Evang. Ioannis, cap. IV, 8 - op.cit.*, p. 159.

¹⁹ Certo certius hoc modo s. Ioannes Chrysostomus (+ 407), Doctor Ecclesiae, denotatur. “Aureus? est idem ac “chryseus” (gr.), proinde Ioannes Chrysostomus, i.e. orator “aurei oris”, hic “aureus Doctor” vocatur.

²⁰ Textum hic allegatum in opere s. Ioannis Chrysostomi “Homiliae LXXXVIII in Ioannem”, in loco ubi sermo est de colloquio Christi cum Samaritana, invenire non potui.

²¹ Probabiliter sic indicatur Paulus Burgensis († 1435). Cf. D’AMATO Alfonso, “Paolo di Burgos”: *ECat IX, 726-727*, ubi de eo legitur quod erat “esegeta domenicano” qui “scrissse “Additiones” (1429-31) alle postille di Niccolo di Lyra su tutta la S. Scrittura”.

²² Est probabiliter allegatio ex opere Pauli Burgensis “Additiones ad postillam Nicolai Lyrani”, quod opus tamen invenire non potui.

²³ Cf. INNOCENTI Umberto Degli, “De Vio Tommaso, detto il Gaetano”: *ECat IV, 1506-1509*, ubi legitur quod hic “filosofo e teologo domenicano, n. a Gaeta il 1468 e m. a Roma il 1533, [...] ha un nome nell’esegesi biblica per i suoi commentari al Vecchio e Nuovo Testamento”.

²⁴ CAIETANUS, “Evangelia cum Commen[tariis] Caietani - Rev.mi D.D. Thome de Vio Caietani Cardinalis s. Xisti: in quattuor Evangelia et Acta Apostolorum [...] Commentarii...”, s.l. 1530, f. 152v.

Porro D. Ioannes (ut asserit unus aliquis e recentioribus²⁵) per hanc dictionem: "Sic"[Io 4, 6], Divini huius Pastoris anxietatem, ardentissimumque amorem denotare videtur, quo in perditae huius oviculae assidua requisitione aestuabat. Vocem deinde alloquentis eam si consideres, "vox ^adeprecantis est^a", ait Toletus²⁶, "et qui imperare potuit Angelis, vilem adulteram, et infidelem mulierem" (hoc erat [g_f] Samaritana) "rogat. Adeo enim hominum diligit salutem, ut, quod nostra summopere interest, [.....] etiam precibus flagitet"²⁷.

Tandem refractariam advertens, et ignaram sui boni: "O^b si scires", ait, "donum Dei, et quis est, qui dicit tibi: da mihi bibere; tu, forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam" [Io 4, 10]. Quae verba trutinans Bernardinus Senensis²⁸, et una Chananaeae illius reminiscens, quae summis aliquando precibus et prope importunis a Domino salutem filiae suae extorquere nitebatur, in has voces erumpit: "Quando^c mulier Chananaea, affectione fervens, sollicitudine quaerens, clamoribus petens, filiam, id est animam suam, salvari^d deprecatur; et nihilominus Iesus fugit, obmutescit, et^e f^spernit velut canem^f, et eam quodammodo abhorreere apparet²⁹. g^g Econtra hanc Samaritanam insectari videtur, etiam suis inspirationibus renitentem"³⁰.

a-a "est deprecantis" (TIC) b om. (BSV) c "quod"(BSSS) d "sanari" (ibid.) e om. (ibid.) f-f "velut canem spernit" (ibid.) g add. "At" (ibid.)

²⁵ Nescitur de quo auctore hic sermo est.

²⁶ Cf. TESTORE Celestino, "Toledo, Francisco de" († 1596) : *ECat XII*, 196-197, ubi *is describitur uti "cardinale gesuita e teologo"*.

²⁷ TOLETUS Franciscus, "Francisci Toleti Doctoris Theologi Cordubensis e Societate Iesu, in Sacrosanctum Ioannis Evangelium Commentarii", Romae 1590, p. 200 (Caput III).

²⁸ Cf. PACETTI Dionisio, "Bernardino da Siena, santo" († 1444) : *ECat II*, 1411-1416, ubi legitur quod "gli scritti più importanti lasciati da B. sono tutti di prediche e in lingua latina".

²⁹ Cf. Mt 15, 22-26.

³⁰ BERNARDINUS SENENSIS, "S. Bernardini Senensis Ordinis Fratrum Minorum Opera Omnia", Sermo XXXI (Feria Sexta post III Dominicam in Quadragesima: De conversione Samaritanae), t. IV, Florentiae 1956, p. 97, vv. 10-14.

O caeca “Samaritana! Anima vana”, lasciva, delicata, luxuriosa, avara; plena desideriis carnis, oculorum, superbiae vitae, voluptatum huius mundi: da, (per salutem tuam obtestor te) da potum sitienti Servatori tuo: propina illi teipsam. Quid conversionem tuam procrastinas? En, quaerens te fatigatur, fatigatus sedet, sedens opportunum tempus alloquendi tui per sanctas inspirationes, aliosque modos praestolatur: et dum hoc saepius facit, tu dissimulas; offert se tibi, tu refugis; ostendit, quam pronus promptusque sit ad remittenda tibi delicta, tam innumera, tamque gravia, tu non vides; rogat denique potum lachrymarum, et non imperties? Non enim aliud appetit, cum petit, “da mihi bibere”, quam fontis oculorum lymphas. [g_v]

Sed, iam ad extremam Domini mei sitim delabor. Pendebat is Crucis in trabe medius duorum latronum, totus quantus quantus vulneribus oppletus, confixis manibus ac pedibus, spineo diademate cruentatus, et praeterea blasphemantium acerbissimis diceriis proscissus. Territus interea Sol tam atroci spectaculo, tamque immani hominum in suum Conditorum scelere, oculis eorum se subducit, toti mundo nox incubat atra: gemit praeterea tellus, reboat aether, scinduntur rupes, velum templi rumpitur, tota rerum natura commovetur³¹.

Solus Iesus in cruciatibus inexplicandis persistens immotus lenta voce exclamat: “Sitio”. Hic Magdalena Liberatori suo vehementissime compatiens tacita lamentabatur: Ah! “Sitio”, clamas: desunt his rupibus undae. Sola fluunt oculis flumina, sola bibe. Non aliud sanctissima Genitrix, non reliquae Matronae huic tristissimae Tragediae praesentes, fecere: lachrymas nimirum suas dilecto Servatori sitis extinguendae causa offerebant.

Miles duntaxat, raro promptus ad pietatem, novo scelere sitim coelestis Imperatoris irritabat. “Spongiam plenam aceto hyssopo circumferentes^a” (hanc relationem facit de Martis alumnis alumnus Christi Ioannes) “obtulerunt ori eius” [Io 19, 29]. Opinor, Dominum idem nunc

a “*circumponentes*” (BSV)

³¹ Cf. Mt 27, 45-51.

fecisse, quod paulo ante cum eodem aceto felli permixto fecerat. Nempe "cum gustasset, noluit bibere" [Mt 27, 34]. Noluit omnino bibere, qui longe alia siti torquebatur. Non enim liquorem aliquem expetebat, qui nec edisse, nec bibisse [g_{2r}] quadraginta diebus poterat. "Habuit ^a aliam sitim" (pie conicit devotissimus Blosius³²) "puta, amplius patiendi, atque evidentius suum nobis ^bamorem demonstrandi^b"³³.

Hic ego aliquantum haerebo, et inquiram ab ingeniosissimis naturae scrutatoribus: quid agunt cervi venenata icti sagitta, aut a serpente morsi? Solinus³⁴ mihi pro cunctis unus respondens, ait: quod "ad fontes aquarum festinant sitibundi, et in eas purissimas venenum evomunt"³⁵. Aquis ergo et sitim conceptam extinguunt, et hausto veneno levantur.

Nunc ad Iesum, quem mihi sacrae literae Cervum appellarunt. Ita enim sancta Sponsa, celeritate eius agilitateque se oblectans gloriatur: "Similis est dilectus meus capreae, hinnuloque cervorum" (Cant 2[, 9]). Hic igitur coelestis Cervus gemino telo, amoris in mortales altero, altero peccati nostri virulento, magis quam clavorum cuspidibus acuminatis saucius, vehementer se sitire testatur, cum clamat affixus cruci: "Sitio". Ah! quid sitis, Domine mi, quid sitis? "Sitis mea" (respondet per D. Augustinum)

^a add. "et" (BPE) ^{b-b} "demonstrandi amorem" (ibid.)

³² Cf. MANCONE Ambrogio, "Blosio (de Blois), François-Louis, venerabile" (†1566): *ECat II, 1721-1723, ubi is describitur uti "abate benedittino e scrittore ascetico"*. Forsitan uti "devotissimus" ab auctore nostro laudatur, quia in scriptis suis "la contemplazione di Cristo e delle sue sofferenze sar' un continuo richiamo alla mortificazione e al raccoglimento. L'anima allora vive abitualmente alla presenza di Dio, che la riempie di sé, tanto da non farle cercare più consolazioni al di fuori di lui. Essa non ha più quindi che aspirazioni alle cose celesti, alla beatitudine".

³³ BLOSIUS Ludovicus, "Praeclara Admodum Dominicae Passionis Explicatio", in: "D. Ludovici Blosi Abbatis Laetiensis... Opera...", Coloniae 1606, p. 519.

³⁴ Cf. FALCO Vittorio De, "Solino, Caio Giulio (C. Iulius Solinus)": *EI XXXII, 77-78, ubi legitur quod Solinus vixit in "met/ del sec. III d.C." et inter eius opera indicatur "Collectanea rerum memorabilium"* - "una raccolta di curiosit, con speciale riferimento... agli animali". "Il trattato ebbe nel Medioevo, dal sec. V al XV, grande fortuna; edizione de sec. V fu usata o ricordata da molti scrittori, per es. Agostino..., Isidoro".

³⁵ SOLINUS Caius Iulius, "Collectanea rerum memorabilium", ed. T. Mommsen, Berlino 1895, ubi tamen textum hic allegatum invenire non potui.

“salus vestra est: sitis mea redemptio vestra; sitio fidem vestram”³⁶, o mortales! sitio conversionem vestram, o peccatores!

Ah! Animaе piae, anime quoque impiae: refrigerate sitim Redemptoris vestri dulcissimis lachrymis, potu huic siti accommodatissimo. Talem ad fontem Cervus hic, vestrorum peccatorum virulentissimis sagittis confixus vehementissime anhelat. Convertimini ergo ad eum in ieiunio, et fletu, et planctu et totum plane Oceanum proficuarum vobis illi optatissimarum lachrymarum ante eum profundite. [g_{2v}] Date potum sitienti, date potum scaturientium ex contrito corde lympharum. Nam, nisi id promptissime et liberalissime praestiteritis, aeternam sitim timete. Venturum enim tempus est, quo sitiens hic Cervus in severissimum Iudicem conversus, ita suae sitis ardentissimae et propriae salutis contemptores nefarios alloquetur ultimo damnandos: “Sitivi, et non dedistis mihi potum; [.....] discedite a me maledicti in ignem aeternum” [Mt 25, 42. 41].

O peccator! ut non ardeas aeternum, ardentem siti conversionis tuae Christum iam refocilla. [g_{3r}]

³⁶ *Textum hic allegatum in operibus S. Augustini secundum Indicem generalem (sub verbis “ sitio”, “sitis”) non inveni. Nec inveni hunc textum in “Sancti Aurelii Augustini In Iohannis Evangelium Tractatus XXXIV” : CChrL 36, secundum “Indicem Locorum S. Scripturae”, sub Iohannes 19, 28.*

ORATORIS CRUCIFIXI
VERBUM VI
“Consummatum est” (Io 19[, 30])

*Perfectissimam esse Poenitentiam, quae cum ipsa
vita consummatur.*

Principium humanarum actionum bono fine destitutum nunquam ducitur laudi, habetur semper ludibrio; et plerumque damno solet esse, non emolumento. Quae gloria est, praeclare multa ordiri, male terminare, aut imperfecta sponte relinquere? Non incoepisse, at finivisse laudabile est. Hinc universi fabricator, Deus, postquam opera aliarum quinque dierum approbasset, non apposuit operi diei secundae¹ illam solemnem censuram: “vidit Deus, quod esset bonum”. Cetera omnia bona sunt visa bono Deo, solum Firmamentum quasi imperfectum non commendatur. Qua de causa? “^aQuia, licet^a firmamentum” (uti respondet [g_{3v}] Rupertus²) “una quidem et pulchra species est, verumtamen iuxta intentionem operantis, unum quid, totum non est”³. Itaque ut reliqua Divinae dexteræ opera, non comprobatur, quod inchoatum solum, et non consummatum in intentione Dei videretur.

Resipiscentibus hic doctrina datur: ut, cum poenitentiam agere incipiunt, in eadem perseverent, et quidem ad mortem. Sola namque Poenitentia illa perfectissima est, et sempiternae gloriae certissima, quae cum vita poenitentis consummatur. Latius hoc in campo exspatiabor.

a-a “At vero” (CChrL)

¹ Cf. Gen 1, 6-8.

² Vide supra, Verbum IV, no. 14.

³ RUPERTUS TUITIENSIS, “De Sancta Trinitate et Operibus eius” (Commentarium in Genesim, l. I, 30) : CChrL 21, 159.

Apprime servit proposito meo illud coelestis Praeceptoris documentum, quo nobis in pereleganti schemmate coeptae poenitentiae continuationem commendavit. Disserens enim ea de re: “Quis”, ait, “ex vobis volens turrim aedificare, non prius ^a computat sumptus, qui necessarii sunt, si habet^b ad perficiendum; ne, posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, ^c incipiant illudere ei, dicentes: Quia, hic homo coepit aedificare, et non potuit consummare” (Lc 14[, 28-30]).

Iam vero non illi tantum aedificare dicendi, qui domus ab ipsis fundamentis novas erigunt, sed hi etiam, qui veteres restaurant. Anima hominis, Domus Dei est, praesertim illius hominis, qui vera Charitate flagrans in Dei mandatis implendis non frigescit. Hoc ipsum Dei Filius testatus est luculentissime his verbis apud Ioannem: “Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus” (Io 14[, 23]).

Hic quaeri potest: [g_{4r}] quae isthaec est tam efficax dilectio, quae ex animo hominis Domum Dei constituit? Magnus Pontifex et Doctor Gregorius huic quaestioni occurrens: “Vere Deum diligimus”, inquit, “et mandata eius custodimus, si nos a noxiis^d voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria diffluit, profecto Deum non amat: quia ei in sua voluntate contradicit”⁴.

Hinc sequitur: animum deliciis et illecebris imbutum, peccatisque depravatum, esse collapsam Domum Dei. Inficis mansionem Christi eiusque Patris Aeterni: immo disicis ac diruis, quoties, o homo! nefario scelere te polluis, atque gravius delinquis. Vis deinde huius Tabernaculi Divini, huius Templi Spiritus Sancti ruinas reparare? facile poteris per seriam et constantem poenitentiam.

^a add. “sedens” (BSV) ^b “habeat” (ibid.) ^c add. “omnes, qui vident,” (ibid.)

^d “nostris” (PL)

⁴ GREGORIUS MAGNUS, “S. Gregorii Magni XL Homiliarum in Evangelia Lib. II?, Homil. XXX : PL 76, 1220 (n. 1575).

Totam hanc rem, proposito Iudae proditoris exemplo nobis ob oculos Hieronymus ita subicit: "Infelix Iudas, quando Apostolus erat, Domus Dei erat: venit diabolus, et accepit buccellam, et statim intravit Sathanas in illum, et Domus eius subversa est, et non est restaurata": quare? "quia non egit poenitentiam. Si quis vero post peccata agit poenitentiam, istius Domus post captivitatem reaedificatur"⁵.

Verum, ut perfecta sit et laudabilis, non modo utilis restauratio, persistendum in poenitentia tam diu, quam diu in vita: ne cui dicat illusorie diabolus: "Coepit aedificare", coepit restaurare labefactatam Domum internam suam, "et non potuit consummare". Surrexerat e faetido vitiorum coeno, iterum se eidem immersit: extirpare pravos habitus institerat, nunc sibi in iisdem blanditur: [g_{4v}] admoverat aratro manum, iam retrospexit: deseruerat Babylonem, iam repetit: sumpserat cucullum, abiecit: expulerat amicam, invitat: redit canis ad vomitum⁶.

Ah! pie respiscens, ne tibi diabolus illudat, ne iterum Coelo conversione tua exultanti moerorem inicias: persiste in poenitentia, persiste. Quamdiu spiritum trahis, ambula in spiritu: sic animi tui cura plagas, ne recrudescant.

Praeclarum rei praesentis habemus prothotypon [in Libro] Iosue. Ingressurus hic egregius Imperator terram promissionis, debuit omnes illos, qui nati fuere Haebraeorum in deserto, circumcidisse. Ita voluit Deus, ita mandavit. "Postquam autem ^a circumcisi sunt", (ait sacer codex) "manserunt in eodem castrorum loco, donec sanarentur" (Ios 5, [8]). Haec circumcisio fuit Iudaeorum, quaenam debet esse

^a add. "omnes" (BSV)

⁵ *Textum s. Hieronymi hic allegatum in PL, secundum Indicem Generalem in opera eius (s. v. "Iudas"), invenire non potui. Nec hunc textum inveni in eius opere "Expositio in Evang. Ioannis?". In opere autem "Contra Rufinum": Val larsius Dominicus, "S. E. Hieronymi Opera", Venetiis 1767, t. II, P. I, l.II, 495, similem textum inveni: "Et rursum de Iuda in Evangelio legimus: "Post buccellam intravit in eum Satanias" (Jo 13): qui ante buccellam sponte peccaverat, et nec humilitate, nec clementia Salvatoris flexus est ad poenitentiam?.*

⁶ Cf. Prov 26, 11.

Christianorum? “Circumcidi”, inquit ordinarius sacrae paginae interpres⁷, “per Iesum, est: vitia et consuetudines pravas et pessima instituta deponere, et quidquid ab honestatis regula discrepat, abscindere”. Cum his enim onerosissimis sarcinis terram promissam nobis, quae coelestis Patria est, ingressurum se quis somniet? “Angusta” quippe “porta et arcta via est, quae ducit ad vitam” (Mt 7[, 14]).

Vitiorum vero ea natura, quod toties resecta repullulent. Hydra est Lerna⁸ vitium quodvis et peccatum. Sicut illi capita recisa iterum erumpebant, ita uno sublato vitio peccatove resurgunt alia, nisi penitus eorum succus omnis perpetua poenitentia exhauriatur. Hercules nos hic assiduos oportet esse. Arma poenitentiae nunquam nobis e manibus dimittenda. [h_r] Qui semel illa rapuerit in vitia et peccata pugnaturus, ne abiciat unquam: teneat, teneat perpetuo. “Non sufficit circumcidi, necesse est post circumcisionem sanari, et cicatricem in vulnere obduci. Debent poenitentes manere in poenitentia”. Ita ratio suadet, ita monet Stephanus sanctissimus Abbas⁹, ita salus obtinenda.

Magna aliquando turba confluit ad Iesum, et “offerebant ei^a parvulos, ut tangeret illos” (Mc 10[,13]). Quae res, nescio quam ob causam, discipulis eius bilem movit adeo grandem, ut minis abigendos censerent eos, qui hanc parvulam turbam praeceptori sancto sistebant: “Comminabantur offerentibus”, dicit Marcus. Lucas vero affirmat, quod “increpabant illos” [Lc 18, 15]. Quod tamen indigne ferens pietissimus Dominus: “Sinite”, dicebat discipulis, “parvulos venire ad me [.....]; talium enim est Regnum Dei” [Mc 10, 14]. Quid audio? Domine mi, quid audio? Parvulusne in Regnum coelorum penetrabit? quo pacto? Vim patitur Regnum coelorum: “Violenti”, ut alibi dixerat, “rapiunt illud” [Mt 11, 12]. Parvulis autem quae vires ad vim Coelo

^a “illi” (BSV)

⁷ Nescimus quis sit hic “interpres” e de quo opere eius textus hic allegatus provenit.

⁸ Cf. PARANDOWSKI Jan, “Mitologia”, Warszawa 1990, p. 178.

⁹ Non potui hunc auctorem identificare, nec textum huius Stephani Abbatis invenire et verificare.

inferendam? Nisi forte lachrymis illud potius, quarum copia parvulis haud deest, quam arietibus sit expugnandum. Ita sane.

Meminimus, quid accidit Agar Aegyptiae, cum a Sara e domo Abrahami fuit pulsa, una cum infantulo Ismaele in desertum¹⁰. Deficiente nimirum annona, abiecerat filiolum sub arbore, ne videret morientem: "et sedens contra, levavit vocem suam, et flevit" [Gen 21, 16]. Postmodum asserit sacer historicus, "exaudivit Deus vocem pueri" [ib., 17]. Unde ego [h_v] vehementer admiror, divinum scriptorem hic sibi non constare. Cur enim asserit, pueri vocem exauditam esse, cum non puerum sed matrem flevisse retulit?¹¹ "Sedens contra etc." At involvit hic pro more suo grande misterium. Agar illa poenitentis animae typus erat. Dolebat enim se propter suam protervitatem ex domo sui domini atque mariti eiectam esse, et fame in eremo confici: cum tot ancillae in aula sua genialiter viverent, non modo commodissime. Hinc gemitus, hinc lachrymae illae tam efficaces, ac tenerae, ut infantiles viderentur. Itaque merito dicitur Agar flevisse, et puer exauditus esse, quoniam constans poenitudo matrem in puerum transformaverat. Ex quo pulcherrime et appositissime S. Pater Ambrosius poenitenti acclamat: "Tanta vis consummatae emendationis est, ut in quandam pueritiae spiritualis redeat aetatem"¹². Ac propterea recte monebat discipulos coelestis Magister: "Sinite parvulos venire ad me: talium est enim Regnum Dei". Vos quoque (idem nobis dicebat) "nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum coelorum" [Mt 18, 3]. Quomodo conversi? per poenitentiam. Quomodo parvuli? per consummatam poenitentiam.

¹⁰ Cf. *Gen 21, 14*.

¹¹ *Sic sec. BSV, et sic in traductione polona J. Wujek SJ (etiam in ed. an. 1935) et in alia polona (e linguis originalibus) an. 1980 typis edita, puer autem flevit invenitur in editionibus modernis Bibliae tum italicis tum anglicis.*

¹² *Textum hic allegatum in operibus S. Ambrosii, speciatim in eius opere "De Abraham, Lib. I": PL 14, et "De poenitentia": PL 17, invenire non potui.*

Idem Dominus noster Iesus Christus antequam Spiritum suum aeterno Patri tradidisset, Regale illud Divinumque verbum protulit: “Consummatum est”. Per hoc autem volebat exprimere: se omnia perfectissime implevisse, quae ad humani generis redemptionem spectabant. Hoc sentit ex eruditissimae Societatis [h_{2r}] Schola Cardinalis¹³ hunc locum ita penitus elucidans: “Ex verbo illo: “Consummatum est”, intelligimus Dominum consummasse opus passionis suae ab initio usque ad finem, ut nihil desiderari posset”¹⁴.

Tanta porro aviditate festinabat ad huius operis consummationem Iesus, tantaque constantia, ut eum non cruciatus dirissimi, non mors atrocissima, non ipsae hostium interpellationes sistere, aut morari minime possent. Dicebant enim: “Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei” [Mt 27, 42]. Quod veluti audiens Bernardus: “Immo”, ait, “quia Rex Israel est, titulum Regni non deserat”¹⁵. Quamobrem? si credere volunt, ubi descenderit, ceu Messiae? Descende, Iesu, de cruce, descende: credent Iudaei, salvabuntur: secus obstinati peribunt in perfidia. Inhibet eum Bernardus, idque propterea: ne et nos de cruce poenitentiae, nisi recta coelum sit ascendendum, descendamus: “^aNon dabit^a” (inquit hic mellifluus Doctor) “occasionem surripiendae nobis perseverantiae, quae sola coronatur”¹⁶. Perseverantiae in poenitentia, gemitu, lachrymis, austeritatibus, ieiuniis, eleemosynis, variis mortificationibus, in cruce denique perpetuo ferenda.

Nam consummatissima poenitentia est, quae cum ipsa vita consummatur. Sic eluebat sua peccata Rex poenitens: “Laboravi” (canit ipse) “in gemitu meo: lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo” (Ps. 6[, 7]).

¹³ Ita Card. Robertus Bellarminus S.I. denotatur. Cf. supra, Verb. I, no. 3.

¹⁴ BELLARMINUS Robertus, “De septem verbis a Christo in Cruce prolatis”, Ratisbonae 1925, Liber II, p. 187 (cap. 18).

¹⁵ BERNARDUS, “Sermo 1 in die Paschae”, ex quo allegatio invenitur in: CLCE, t. II: “[Commentarium] In S. Matthaeum”, P. II (c. XXII, 42), p. 387. Eandem allegationem inveni in: BERNARDUS, “Opera omnia”, Parisiis 1616, col. 164.

¹⁶ IDEM, *ibid.*, tum in s. Bernardi “Opera omnia” tum in dictis Commentariis Cornelii a Lapide.

Sic Maria peccatrix Aegypti quadraginta sex annis feras inter emundabat quidquid sordium paucis^b homines inter contraxerat¹⁷.

Sic Augustinus ex Manichaeo [h_{2v}] Catholicissimus, ex mundano mundissimus et plane coelestis, quos poenitentiales dicimus psalmos, etiam discessurus ex hac mortalitate ad beatam immortalitatem pie recitare non neglexit¹⁸.

Sic plurimi alii non prius gloriosissimis rigidissimae poenitentiae exercitiis, quam vitae finem fecerunt.

Quis tot exempla Divorum recenseat, qui suos in artus poenitentiae causa dirissime saevierunt?

Unius Dominici Loricati¹⁹ piam ac salutarem in se crudelitatem, qui una quadragesima tres millones ictuum sibi narratur inflixisse, quis non obstupescat?²⁰

Institit huius Loricati vestigiis (quemadmodum recens author asserit) egregius Dei Servus P. Gaspar Druzbicki, Polonus, in S.I. non minus vitae sanctimonia quam doctrina honoribusque illustris²¹: cum interdum, praesertim vitam agendo privatam, diversis diei et noctis tempo-

a-a "Ne daret" (CLCE) et: "Non tibi dabit" (BO) ^b intelligitur: "paucis **annis**"

¹⁷ Cf. supra, Verb. III, no. 26, cum indicatione articuli in BS, ubi legitur de sua longa ambulatione in deserto, quae "durava già da quarantasette[!] anni" (p. 983). Cf. etiam: NIEDZIELSKI Jan, "Marya Egipczyanka św.": PEK XXV-XXVI, 314-315, ubi legitur quod haec "Maria peccatrix" in deserto non 46, sed 47 annos transegit.

¹⁸ Cf. RATHE Kurt, "Agostino Aurelio, vescovo di Ippona, santo": ECat I, 523, ubi legitur: "Agostino era pervenuto all'età di 76 anni quando i Vandali vennero per espugnare Ippona; nel terzo mese dell'assedio, egli, meditando i salmi penitenziali, serenamente spirò".

¹⁹ Cf. CECCHETTI Igino, "Domenico Loricato, santo, Camaldolese" († 1060): ECat IV, 1832; CACCIAMANI G., "Domenico Loricato": BS IV, 687.

²⁰ Cf. PAWŁOWSKI Daniel, S.J., "Vita P. Gasparis Druzbicki, Poloni, S.J.", Cracoviae 1670, p. 145, ubi auctor in luce eorum, quae narrat "B. Petrus Damianus, vitam Sancti Dominici Loricati descripturus", ita computat: "Illa vero vice, quando imprevit, et explevit per Quadragesimam, mille annorum paenitentiam, inflixit sibi ictuum 3000000 - tres millones".

²¹ De Gaspare Druzbicki SJ (1590-1662) cf. TDM, c. XIX, no. 2.

ribus ad quindecim millia percussionum cum rasuris ferreorum pectinum et hemisphaerae aculeatae puncturis, pervenerit²².

Novi et ego virum, primum in Scholis Piis Polonum, patria Posnaniensem²³: cuius ab obitu repertus est paries cubiculi sanguine respersus²⁴: tam serio suum in corpus extra ordinem animadvertibat. Idem expergefactus integrum Rosarium pansis brachiis devotissime solebat percurrere: sacras literas non nisi genu flexoolvebat: nunquam mihi risisse visus, orasse perpetuo: recollectissimus et obedientissimus. Et tamen hic talis poenitentiae amator constantissimus ad meliorem vitam transiturus tremebat ob abyssum iudiciorum Dei²⁵.

Quis alia talia fando [h₃] enumeret? Bene cecinit Vates aliquis: "Priscorum verbera confer: esse meros dices, seria nostra, iocos". Confer tuam, mi Christiane, poenitentiam cum poenitentia Ioannis²⁶, Pauli²⁷,

²² Est informatio sumpta quasi ad verbum e dicto libro Danielis Pawlowski, S.J. (1628-1673), p. 145, uti pars capituli LX: "Mortificatio exterior, seu afflictatio proprii corporis, adhibita a patre Gaspare" (pp. 140-167).

²³ Sermo est hic de p. Casimiro Bogatko, SP, († 1650); cf. Positio, p. 25, nota 22; p. 259, nota 31. Papczyński cum eo in eadem Domo per quasi unum annum (1649-1650) habitavit, quando Podolinii in Collegio Scholarum Piarum cursum Syntaxae frequentabat; cf. ibid., pp. 17-18.

²⁴ Papczyński hoc propriis oculis videre potuit, quia p. Bogatko die 7 Maii 1650 Podolinii mortuus est, et Papczyński Podolinio - uti videtur - die 18 Maii 1650 profectus est; cf. Positio, p. 13, no. 35.

²⁵ Omnia haec plane in documentis confirmantur; cf. "Liber Suffragiorum Podolinensis 1650-1769", p. 1 : Archivum Scholarum Piarum Cracoviae, ubi inter alia de Casimiro Bogatko legitur: "Primus inter Scholas Pias Polonus, ex Palatinatu Posnaniensi, vir magnae modestiae, ita ut... sanctitatis opinionem... reliquerit. Silentii tenacissimus...; mortificationi corporis plus fere quam permittebatur addictus, regularum observantissimus et accuratissimus...". Cf. etiam: Archivum Generale Scholarum Piarum Romae, Reg. Serv. 60, nr. 14, Appendix, ubi inter alia: "Citra culpam seu aliquem defectum, sed sola probationis causa, iusso novitiorum Magistri funiculis adeo horrende a mane usque ad prandium se flagellavit, ut sanguis abunde effluerit...".

²⁶ Cf. LUCCHESI Giovanni, "Giovanni Bono, eremita, beato" (1168-1249) : BS VI, 629-630, ubi legitur de "sua straordinaria vita di penitenza"

²⁷ Cf. CALIÒ Giuseppe, "Paolo di Tebe, eremita, santo" (228-341) : BS X, 269-276..

Antonii²⁸, Onuphrii²⁹, tot aliorum Eremitarum: cum poenitentia Benedicti³⁰, Francisci³¹, Dominici³², Bernardi³³, et tot aliorum nostrorum Ducum: cum poenitentia Theresiae Abulensis³⁴, Catharinae Senensis³⁵, Rosae Limanae³⁶, Kunegundis Polonae³⁷, Magdalенаe Italae³⁸, et tot aliarum Christi Sponsarum: "Esse meros dices, seria nostra, iocos".

Quid si tibi viva poenitentiae exempla, quae haerent in oculis, monstravero: numquid adhuc poenitentiam exhorresces? Conice oculos in genuinam Romualdi Sobolem: videbis hispidam vestitu, ieiuniis exhaustam, silentio mortificatam, tota vita Angelis parem³⁹.

²⁸ Cf. CARAFFA Filippo, "Antonio, Abate, santo" († 356) : BS II, 106-114.

²⁹ Cf. SAUGET Joseph-Marie, "Onofrio, eremita, santo" († in fine saec. IV vel initio saec. V) : BS IX, 1187-1197.

³⁰ Cf. LENTINI Anselmo, "Benedetto di Norcia, patriarca dei monaci d'Occidente, santo" (ca 480 - ca 547) : BS II, 1104-1171.

³¹ Cf. GHINATO Riccardo Pratesi-Alberto, "Francesco d'Assisi, santo" (ca 1181-1226) : ECat V, 1578-1585.

³² Cf. WALZ Angelo, "Domenico, santo - Fondatore del'Ordine dei Frati Predicatori e delle Suore domenicane" (ca 1170-1221) : ECat IV, 1825-1830.

³³ Cf. OPPENHEIM Filippo, "Bernardo di Chiaravalle, santo, e dottore della Chiesa" (1090-1153) : ECat II, 1423-1435.

³⁴ Cf. GABRIELE di S.M. Maddalena, "Teresa di Gesù, santa" (1515-1582) : ECat XI, 1992-1996; dicta "Abulensis", quia Abulae (in Avila) nata. Fuit una cum suis vitae poenitentiali dedita (clausura, solitudo, silentium).

³⁵ Cf. TAURISANO Innocenzo, "Caterina da Siena, santa" (1347-1380) : ECat III, 1151-1156, ubi legitur quod in eius vita praesentes erant "le macerazioni, le opere di penitenza e i digiuni prolungati?".

³⁶ Cf. DONATI Maria, "Rosa da Lima, santa" (1586-1617) : ECat X, 1338-1339, ubi legitur: "tutta la sua breve vita fu un continuo esercizio di aspre penitenze".

³⁷ Cf. NARUSZEWICZ Pietro, "Cunegonda..., regina di Polonia, beata" (1224-1292) : BS IV, 400-401, ubi legitur: "A corte Cunegonda condusse una vita mortificata"; tunc describitur "il suo soggiorno nel monastero [delle Clarisse a Sary Sącz], durato tredici anni trascorsi completamente nell'ascesi e nelle mortificazioni".

³⁸ Cf. ANCILLI Ermanno, "Maria Maddalena de' Pazzi, santa" (1566-1607) : BS VIII, 1107-1131, ubi legitur de "penitenze e tribolazioni" in sua vita. Notandum est quod ea albo Sanctorum anno 1669 recensita est.

³⁹ S. Romualdus († 1027) Congregationem Eremitarum Camaldulensium fundavit. Camaldulenses in Polonia fundati sunt ex Eremo Montis Coronae (Perugia), "un ramo della famiglia camaldolese staccatosi nel 1523... per una più stretta osservan-

Carthusianos adibis? reperies vigiliis extenuatos, clausos in cellis, se ipsos refugientes, soli coelo intentos⁴⁰.

Non desunt alii plurimi, qui Evangelicam regulam secuti, summam paupertatem amplexi, externo quoque rigore in animarum bonum adhibito, sine pera et baculo, sine calceis et mollibus indumentis, verbo simul et exemplo Christum praedicantes veros Apostolos orbi exhibent universo. Quanquam et illorum opera sanctissima, qui libris ad utilitatem Ecclesiae conscribendis, iuventuti honestissimis literis ac moribus imbuendae, verbo Dei seminando, sacramentis administrandis, confirmandis in pietate Catholicis, haereticis convertendis, infidelibus ad ovile Dei aggregandis, se totos constantissime devoverunt; quis, inquam, praeclarissima [h_{3V}] eorum opera in censum poenitentiae non referat?

Atque haec sunt, quae te, mi homo, peccantem graviter et leviter poenitentem, ad non seram, et seriam et continuam poenitentiam excitare merito possunt. Quibus, si placet, addo illud saluberrimum Ecclesiastici monitum: “De propitiato peccato noli esse sine metu” [Eccle 5, 5]. Poteris esse, ubi poenitentiam egeris assiduam. Ergo perseveremus in poenitentia, perseveremus: ut et praeterita eluamus delicta, et futuris aditum praecludamus.

Quid unius mensis, anni, aut lustris, poenitentia gloriamur? Posteaquam totius vitae decursu solida poenitentiae opera exercuerimus, tunc saltem poterimus non vanissime coelum sperare atque expectare. [h_{4r}]

za della Regola”; cf. DENICOLÒ Oddone, “Benedettini Camaldolesi” : *ECat II*, 1246-1248. Cf. CHEŁMICKI Zygmunt, “Kameduli (congr. Camaldulensis)” : *PEK XIX-XX*, 209-210, ubi de congregatione in Monte Corona legitur: “żywot prowadzono tam b. surowy. Nawet ubiór był najprostszy, zupełnie ubogi”; cf. IDEM, “Kameduli w Polsce” : *ibid.*, 210-211. P. Papczyński vitam Camaldulensium ex necessitudine cum p. Francisco Wilga, O.S.B.Cam., novit; cf. *FDR*, n. 10 : *Positio*, pp. 361-362.

⁴⁰ Cf. Un CERTOSINO, “Certosini” : *DIP II*, 782-802, ubi legitur: “L’Ordine dei Certosini fondato da S. Bruno nel 1084, è totalmente dedicato alla contemplazione, in maniera tale che i suoi membri attendono soltanto alle cose di Dio nella solitudine e nel silenzio, nella preghiera assidua e nella gioiosa penitenza”. Cf. CHEŁMICKI Zygmunt, “Kartuzi (Ordo carthusiensis)” : *PEK XIX-XX*, 374-375.

ORATORIS CRUCIFIXI
VERBUM VII

“Pater, in manus tuas commendo spiritum meum”
(Lc 23[, 46])

*Spiritum nostrum a nobis frequentissime Christo Domino
commendandum esse, nisi labi ac relabi frequentissime velimus.*

Animadvertimus saepissime, decedentes ex hac mortalitate homines ea suis commendare, quae carissima habuerunt. Sic olim Turnus Rutulorum Rex, fortissimus alias heros, ab Aenea Troiano singulari certamine prostratus¹, “humilis, supplexque” (ut est apud Poetarum principem²) “oculos, dextramque precantem protendens”, victorem orabat: “miseri te si qua Parentis

Tangere cura potest, oro: (fuit et tibi talis

Anchises genitor), Dauni miserere senectae”³.

[h 4_v] At Redemptor noster sanctam animam in cruce expiraturus, neminem hominum, aut Angelorum, sed Patrem coelestem alloquens, ei suum spiritum commendat: “Pater, in manus tuas commendo spiritum meum”. Quod D. Athanasius contemplatus: “Cum”, ait, “in cruce”

¹ De hoc “certamine” a Vergilio in opere “Aeneis” narratur. Bellum inter Turnum et Aeneam “si chiude nell’ultimo canto col duello in cui Turno cade vinto dalle armi di Enea e dal Fato”; cf. ROSTAGNI Augusto, “Virgilio” : EI XXXV, 428.

² Hoc modo Vergilius (70-19 a.C.) denotatur. Cf. ROSTAGNI A., op.cit., p. 424, ubi titulus “Poetarum princeps” a p. Papczyński Vergilio tributus his verbis iustificatur: “Publio Virgilio Marone (Publius Vergilius Maro) fu, per il senso sublime dell’arte e per l’influenza che esercitò nei secoli, il massimo poeta di Roma”.

³ PUBLIUS VERGILIUS Maro, “Aeneis”, Lib. XII, vv. 930-934 : “Publii Virgillii Maronis Opera”, ed. C.H. Weise, Lipsiae 1844, p. 406. Anchises fuit pater Aeneae; Daunus fuit proavus Turni. Notandum est quod verba “fuit et tibi talis Anchises genitor” in hac editione intra parentheses exstant, quod plane contextu iustificatur ac proinde haec verba etiam in nostra editione uncis rotundis includuntur.

Christus “dicit: Pater, in manus tuas depono spiritum meum, in eo omnes homines apud Patrem deponit, ac commendat, per ipsum et in ipso vivificandos. Membra enim sumus, et membra ista multa unum corpus sunt, quod ipsum Ecclesia est. Omnes ergo in se Deo commendat”⁴.

Adstipulatur Cyrillus⁵ Athanasio inquires: “Tradidit animam suam manibus Genitoris” aeternus Filius, “ut ab illa, et per illam facto initio, certam huius rei spem habeamus, firmiter credentes, in manibus Dei nos post mortem futuros”⁶. “Nam^a hoc nobis effecit Dominus” (quod addit Euthymius⁷) “ne deinceps iustorum animae descenderent in infernum, sed magis ad Deum ascenderent”⁸. Igitur neque nos deesse nobis debemus; at dum a Iesu Christo Aeterno Patri commendamur, ipsi pariter nosmetipsos eiusdem Patris Aeterno Filio commendemus, ut in eius manibus securi lapsus ac relapsus deinceps vivamus. Quod, qua ratione fieri debeat ac possit, paucis docebo.

“Triplex est spiritus” noster: (ut sentit Dydimus⁹ in *Catena* citatus hic a Cornelio) ^acogitatio nempe nostra, anima, et conscientia^a; quae tria Deo commendare debemus”¹⁰.

^a “Et” (CLCE) ^{a-a} “*primus cogitatio nostra, secundus anima, tertius conscientia*” (CLCE)

⁴ ATHANASIUS, “*De Humana Christi natura contra Apollonium*”, sub initium, in: CLCE, t. III, p. 462.

⁵ Cf. JUCIE Martino, “*Cirillo d’Alessandria, santo*” († 444) : *ECat III, 1715-1724*.

⁶ CYRILLUS, “*Commentarium in Evangelium Ioannis*”, Lib. XI, cap. 36, in: CLCE, t. III, p. 462 . N.B.: in PG 74, 670 hic textus (Lib. XII!) diverso modo in linguam latinam translatus exstat.

⁷ Cf. NAPIERAŁA Stanisław, “*Eutymiusz Zigabenos*” († ca 1118): *EK 4, 1350-1351, ubi legitur quod is fuit “teolog i egezegeta bizantyjski”, qui “napisał komentarze... do 4 Ewangelii” (PG 129)*.

⁸ EUTHYMIUS, “*Commentarius in Quattuor Evangelia: Comment.in Lucam*”, c. 24, in: CLCE, t. III, p. 462. N.B.: textus Euthymii hic allegatus eodem modo in linguam latinam translatus est in PG 129, 1092-1094.

⁹ Cf. PELLEGRINO Michele, “*Didimo il Cieco*” († ca 398) : *ECat IV, 1567-1568, ubi legitur quod Dydimus “commentò... i Salmi...; non ne restano che scarse reliquie nelle «Catene bibliche»*; v. PG 39. Cf. etiam: DRĄCZKOWSKI Franciszek, “*Dydym ślepy*”: *EK IV, 414-415*.

¹⁰ DYDIMUS, “*Catena biblica*”(?) , in: CLCE, t.III, p. 463, ubi textus Dydimi hic allegatus hoc modo citatur: “*Didymus[!], in «Catena, psalmo XXX»*”.

Ac primo de Cogitatione agendum est. Quae cum, teste Divino Spiritu, cuncta sit intenta ad malum, facillime per eam homo a versutissimo orci genio supplantatur. [i_r] Habemus istius rei deplorandum in Isacidis¹¹ documentum. Quod exprimens Divinus Historiographus: “Fornicatus est”, inquit, “Israel^a cum filiabus Moab” (Num 25[, 1]). Quomodo fornicatus? Vidit, appetiit, cogitavit, consensit, fecit. Hoc explicatius proponens Richardus¹²: “Ornaverunt”, inquit, “Madianitae filias suas, ornatasque in conspectum filiorum Israel posuerunt, ut in concupiscentiam illorum^c traherentur, et sic iram Dei incurrerent”¹³. Incurrerunt.

At soline Israelitae laqueis talibus implicati? Non. “Quod semel historialiter” (subicit memoratus Pater) “contigisse cognoscitur, hoc verus quilibet Israelita”, nempe Christianus, “frequenter invisibiliter experitur. Quando scilicet quasdam rerum concupiscibilium imagines inimici oculis mentis obiciunt; in quarum consideratione si se mens delectationi turpiter subiecerit, procul dubio protectoris sui offensam incurrat”¹⁴.

Omnino peritissimus et diligentissimus est Apelles¹⁵ cacodaemon: nunquam non adstat cum tincto variis colorum formis penicillo ad nostrarum cogitationum telam; ut, si male custoditam reperiat, effingat in ea, quas lubet species: aut Dianae venatrices, aut avaras ac superbas Iunones, aut Veneres libidinosas. Conatur enim mentem nostram a Deo

^a “populus” (BSV) ^c videtur quod debeat esse: “illarum”

¹¹ Verbum hoc in dictionariis linguae latinae invenire non potui. Forsitan hoc modo ab auctore nostro posteriores Isaac vocantur.

¹² Non potui hunc auctorem identificare.

¹³ Textus non est verificatus; nescitur e quo opere provenit.

¹⁴ Ob eandem rationem etiam hic textus Richardi non est verificatus.

¹⁵ Cf. SETA Alessandro Della, “Apelle (Apelles)”: EI III, 643-645, ubi legitur: “Insieme con Protogene, fu uno dei due più grandi pittori del sec. IV a.C. e a detta di Plinio... egli superò tutti quelli che lo avevano preceduto e tutti quelli che vennero dopo di lui. Con Apelle giunse al suo culmine la pittura ionica... La pittura di A. ã andata per intero perduta”.

ad mundum et eius vanitates atque curiositates abstrahere: conatur ambitionis faedaeque complacentiae fuco illinire: conatur accendere foco luxuriae per impressionem turpium phantasmatum. Scit namque, sufficere ad labem lethalis culpae contrahendam unam cogitationem morosam: hac vero pollutum animum poenis [i_v] aeternis addicendum.

Sin itaque minus potest ad actum mortiferum hominem impellere, saltem ei cogitationes pessimas suggerit, ut his technis ac laqueis irretitum secum in aeternum praecipitium trahat.

Quod circa se fieri animadvertens Rex psaltes ingemiscebat: “Dolores inferni circumdederunt me, praeoccupaverunt me laquei mortis” (Ps 17[, 6]). Cogitationes otiosae, curiosae, vanae, malae, visae sunt Davidi fuisse dolores inferni: quoniam hominem iis sese oblectantem ad stygios cruciatus devolvunt. Vocantur ab eodem laquei mortis: nam qui illis implicatur non facile grave peccatum, quod infert animae mortem, evitat. Qua vero ratione ab his laqueis expediebat se Regum circumspectissimus, clare docuit, his verbis: “Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos” (Ps 24[, 15]). Mens nempe ad Deum continuo elevata non patet suggestionibus inimici.

Servit huic rei, quod sanctissimus presbyter et Fundator Congregationis Oratorii Iesu, Philippus Neri¹⁶, de seipso referebat. Factitare nimirum se quotidie unam protestationem dicebat: quod esset Christo Domino latiore plagam facturus in latere, nisi eius manibus ligatis capiti suas imposuisset¹⁷. Sedes cogitationum caput est. Expetebat ergo hoc Philippus Christi manibus assiduo teneri, ne Satelles Orci phantasi-
am eius faedis imaginationibus turbaret, atque animum perniciosis cogitationibus intoxicaret.

¹⁶ Cf. GASBARRI Carlo, “Filippo Neri” (1515-1595) : BS V, 760-789.

¹⁷ Cf. CERRI Oreste, “S. Filippo Neri Aneddótico”, Roma 1939, pp. 253-254, ubi legitur: “Quando il Santo sentiva narrare di qualche grave mancanza commessa da qualcuno, [...] soleva dire: “Signore, mettetemi le mani sul mio capo altrimenti anch’io potrei far questo e anche peggio!” [...] diceva [...]: «Mio Dio, tenetemi la Vostra mano sul capo, altrimenti Filippo vi tradirà»”.

Nec alio modo, miser et labilis peccator, animum tuum a periculoso lapsu immunem servare potes, nisi perpetuo Dei [i_{2r}] Filium rogando et obtestando interpelles cum psalte: "In manus tuas", Domine, "commendo spiritum meum" [Ps 30, 6]. Tibi cogitationes meas consecratas volo; nec ullas alias habere atque admittere volo, nisi a te, de te, propter te, o Iesu! Tibi commendo spiritum meum.

A Cogitatione ad ipsam Animam progrediamur. Tam diligenter huic et astute struit insidias latro infernalis, ut ad eas cavendas assiduo ac solerter evitandas Petrus Ecclesiae Princeps et Pater serio nos censuerit esse admonendos: "Fratres^a, sobrii estote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret" (1 Pet 5[, 8]). Non potuit periculum nostrum nobis apertius proponere spectandum, quam daemone rabiem leoninam rugitumque attribuendo, nosque ei praedam futuram, ni vigilaverimus et sobrii et cauti. Rugitu leo praedam, quam capere vult, sistit: sic daemon animam.

Degimus infelices paradisi exules hoc in mundo velut in solitudine vastissima, repleta belluis infernalibus, quae nos ambiunt semper, circumeuntque, hiantibus faucibus, ut absumant. Nec est mirum: esca namque stygiarum ferarum non alia est, quam animae humanae, ex quo eas primaeva labe pollutas sibi consignarunt. Meminisse quilibet potest: quod ferculum, quem pastum, serpenti illi antiquo, qui primos Parentes nostros illaqueaverat, omnium rerum Parens Deus assignavit: "Terram comedes" (dicebat) "cunctis diebus vitae tuae" (Gen 3[, 14]). Quam terram? Respondet utique sapientissime, Phoebus et [i_{2v}] Benedictinae Familiae et Ecclesiae totius, S.P. Gregorius¹⁸, cum psalmum 4. commentatur: "Antiquus hostis terram comedit, quia peccatores quosque in ventrem suae malitiae abscondit"¹⁹.

^a om. "Fratres" (BSV)

¹⁸ i.e. Gregorius Magnus, sanctus, Summus Pontifex Romanus, Doctor Ecclesiae (590-604). Membrum "Benedictinae Familiae" dici potest ex eo, quod pro monasterio in quo ante sui electionem in Summum Pontificem vixit Regulam S. Benedicti assumpsit; cf. PESCI Benedetto, "Gregorio I, Papa, detto Magno": ECat VI, 1112-1124.

¹⁹ GREGORIUS MAGNUS, "Commentarium in Psalmos Poenitentiales", in: LIPPMANO Luigi, "Catena in Genesim", Parisiis 1546, f. 92r (Genesis, cap. III).

”Devorat^a terram” (quod subdit Rabanus²⁰) “cum errore peccantium pascitur, ac delectatur, eosque ducens^b ad interitum rapit. Sicut enim Sancti saepe coelorum, ita nomine terrae hi, qui terrena sapiunt, indicantur”²¹.

Verum huc et altera spectat eiusdem serpentis mulcta. Cum enim antea sursum erectus, ut quorumdam fert opinio, incesserit, ut postmodum super pectus graderetur, damnatus est: “Super pectus tuum gradieris” [Gen 3, 14]. Sic eum Deus fulminavit. Quod qua ratione faciat, diserte expressit eruditissimus Caietanus hoc sensu: “Venter officina est cibi digerendi: ^cet ita^c super ventrem ire, est proprium ventrem eundo opprimere, [...] ^dOfficium ergo diaboli est” (infert iam appositissime dictus interpres) “cibum suum, id est animas peccantium opprimere^d. Ac si apertius dictum fuisset: Non solum maledictus eris tu, sed etiam maledicti erunt tui: opprimentur siquidem a te”²². En escam serpentis antiqui diaboli, animas peccatorum.

Heu! fuge, fuge, o homo! fuge peccator, ad Servatorem tuum: et validissimam eius manum adversus hunc assiduum insidiatorem animae tuae implorans, trade eam, fidenterque committe protectioni, regimini, custodiae ipsius, iterum atque iterum ingeminando: “In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum”. Adhaereat anima mea post te, me suscipiat dextera tua. Eripiatur anima mea sicut passer opera tua de laqueo venantium. [13r]

^a add. “autem” (LCG) ^b “seducentes” (ibid.) ^{c-c} “ac per hoc” (CCG)
^{d-d} “Officium diaboli erga locum cibi sui, erga animas peccantium (illae enim sunt locus cibi diaboli, qui pascitur peccatis nostris) describitur opprimere illas eundo, serpendo, proficiendo de malo in peius” (ibid.)

²⁰ Cf. MOLLAT Guglielmo, “Rabano (Hrabanus, Rhabanus) Mauro” (784-856) : *ECat X*, 439, ubi legitur quod is scripsit “i commenti a quasi tutti i libri della S. Scrittura, dove abbondano i tratti dei SS. Padri e i sensi allegorici” (PL 107-12).

²¹ RABANUS, “Commentaria in Genesim”, Lib. I, in : LCG, f. 92v. Ita etiam in PL 107, 495.

²² CAIETANUS, “[Commentarium] In Genesim”, cap. III : “Reverendissimi Domini D. Thomae de Vio Caietani, Cardinalis sancti Xysti: In Pentateuchum Mosis... commentarii”, Romae 1532, ff. 16v-17r. Cf. etiam: LCG, ibid.

Animae adnectitur Conscientia. Quae quamdiu gravis alicuius sceleris macula non conspurcatur, laeta, hilaris, tranquilla, iuge convivium est. Ubi vero illud admittitur, subito nascitur ex eius putredine vermis, qui peccatoris viscera perpetuo rodit, torquet, cruciat, adeo, ut vivus infernum suum secum portare videatur.

Fabula est, quod Poetae finxerunt de Tytio: cuius iecur assiduo vorari a vulture, nunquam devorari, quod renascatur denuo, tradiderunt²³. At Vultur peccatorum viscera lanians, et verus et sempiternus est. An id non satis perspicue Isaias expressit his verbis: "Vermis eorum non morietur"? (Is 66[, 24]).

Sed et campos Elysios intremus, ut hoc ipsum melius adhuc percipiamus. Hic enim ut peccatum, ita vermis conscientiae primo natus est. Nam homo creatus a Deo in statu perfectissimae innocentiae factus erat Rex Paradisi. Cum Paradisum nomino, locum nomino rebus omnibus refertissimum, quae vel cogitari vel appeti honestissime possunt.

Quid dicam amplius? locus erat, Historia Sacra testante, "Voluptatis"²⁴. Utinam nunquam amissus. Sed, quam cito! Vix se peccati lue contaminavit Adam, ex illo deliciarum Floreto protinus expulsus est: "Eiecit^a eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis" [Gen 3, 23]. Habuit, habuit Anima Parentis omnium nostrum suavissimum et amoenissimum Paradisum, quousque nullius criminis fuit sibi conscia: perpetrato scelere gustati ex vetita Arbore mali, amisit Paradisum: quia Conscientiae tranquillitatem, serenitatem, laetitiam amisit.

^a "emisit" (BSV)

²³ Cf. PARANDOWSKI, *op.cit.*, Warszawa 1990, p. 266, ubi legitur de Tytio in quem Ulixes in suis peregrinationibus incidit: "Tylios... leżał ogromny, rozciągnięty na ziemi, i dwa sępy darty z niego trzewia...". Videtur tamen quod in OC sors Tytii cum sorte Promethei confunditur, de quo traditur quod dii eum in Caucaso monte rupi alligatum damnaverunt, immisso vulture, qui aeternum eius iecur exederet, nec unquam consumeret; cf. *ibid.*, p. 48.

²⁴ Cf. Gen 3, 23. 24.

Hinc [i_{3v}] ingeniosissimus Theodoretus²⁵, postquam expendisset, authoribus nostri generis libato pomo oculos fuisse apertos, ita ut se detectos conspicerent, subiecit non inepte, quod “sensum ac stimulum conscientiae habuere^a, qui eos remorderet”²⁶.

Denique facundissimus Praesulum Chrysostomus afferens rationem, ob quam se, audita voce Domini Dei deambulantis post meridiem in paradiso, Adamus et Eva iam lapsi abscondissent, ita disserit: “Voluit Deus^{b c}, ut in magno mentis ardore^d constituerentur, ^equod et^e factum est. Nam postquam ita [.....] senserunt, quasi adesset iam^f Deus, ^g occultari coeperunt. [.....] ^hConscientia quippe adversus hominem insurgere solet, et^h clara voce clamat, et accusat et ostendit, et quasi ante oculos scribit peccatorum magnitudinem. [.....] Et licet quis admissio peccato [.....] omnes homines celet, ab ipsaⁱ tamen accusatrice non poterit delitescere. ^jNam ubicunque fuerimus, eam circumferimus^j: ipsa nos circumit, ^k laniat, flagellat, [.....] domi et in foro, et in templis, et in mensa; ^l dormientem et surgentem adoritur, [.....]; ob oculos pro-ponit, et delictorum gravitatem, et subsecuturam poenam. [.....] Et propterea Protoplastus, ut illum sensum accepit, adventum Domini secum cogitans statim se occultavit [.....], quoniam videbat sibi trucem adstare accusatorem: Conscientiam dico”²⁷.

^a om. (LCG) ^b om. (LCG) ^c add. “illos haec tali modo sentire” (ibid.) ^d “angore” (ibid.) ^{e-e} “id et quod” (ibid.) ^f om. (ibid.) ^g add. “et” (ibid.) ^{h-h} “Quippe iudex incorruptus, conscientiam puto, cum adversus hominem exurgit,” (ibid.) ⁱ “illa” (ibid.) ^{j-j} “nam hanc intrinsecus habentes, ubicunque sumus, circumferimus” (ibid.) ^k add. “obturbat” (ibid.) ^l add. “et” (ibid.)

²⁵ Cf. PETERSON Erik, “Theodoro, vesc. di Ciro” († 458) : ECat XI, 1926-27, ubi annotantur eius “opere esegetiche su molti testi dell’Ottateuco”.

²⁶ THEODORETUS, “Quaestiones in Octateuchum”, in: LCG, f. 83v, ubi textus his allegatus verificatus est in sequenti contextu: “Aperti sunt oculi amborum. Non quod oculos antea clausos haberent, alioquin quo pacto lignum pulchrum vidissent” Sed sensum ac stimulum conscientiae qui eos remorderet, ita scriptura appellat”.

Si tantum trux accusator dicenda sit Conscientia, et non simul carnifex crudelissimus? Quandoquidem et accusando torquet, et torquendo accusat, et inter accusationes ac tormenta quandoque spem veniae abripit. Expertus hoc in se Cainus ille primus fratricida. Nam occiso Abel germano suo, “Maior est” (exclamavit ad Deum) “iniquitas [i4r] mea, quam ut veniam merear. Ecce eicis me hodie a facie terrae, et a facie tua abscondar: et ero vagus ac^a profugus in terra. Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me” [Gen 4, 13-14]. Vide, eum nihil aliud vereri, cum se metuit occidendum, quam, ne poena talionis mulctetur, suam pro erepta fratri vita perdat. Cum se vagum ac profugum in terra fore pronunciat, an non diserte fatetur, sibi per scelus ita animi tranquillitatem ademptam esse, ut prae tumultu cordis in uno loco nequeat subsistere? Cum se a facie Dei dicit esse abscondendum, ipsam *poenam damni* se fraterni profusione sanguinis promeruisse clare testatur. Et quia graviores suam iniquitatem, quam ut venia donari possit affirmat, iam plane desperatione corripitur, iam de salute animae suae conclamatum esse clamat.

O tortorem immanissimum conscientiae vermem! o peccatum sexcenties detestandum atque veneno diligentius cavendum, quod nobis tam atrocem parit accusatorem, et simul carnificem saevissimum! Optime admonet Lipomanus²⁸: “Hoc ergo expavescamus semper: cavendo, ne unquam tale flagitium designemus, unde perpetuo remorsum conscientiae ferre cogamur”²⁹.

a “et” (BSV)

²⁷ CHRYSOSTOMUS, “Homiliae in Genesim”, in *Cap. III Gen., Hom. XVII, 1, in: LCG., f. 86r. Cf. etiam: PG 53, col. 135-136, ubi tamen diversa versio latina datur.*

²⁸ Cf. - GAIFFIER B. de, “Lippomani (Lippomano, Lipomanus), Luigi” († 1559) : *LThK VI, 1071-1072; - JAŁBRZYKOWSKI Romuald, “Lippomani Ludwik”: PEK XXIII-XXIV, 353, ubi indicatur eius opus “Catena sanctorum Patrum in Genesim”, Paris 1556, ex quo forse textus hic allegatus provenit.*

²⁹ Textum Lipomani hic allegatum sub “Auctor catenae” in opere “Catena in Genesim”

Sed quo pacto id praestabimus, si Deus Conscientiam nostram dextera sua non sustentabit, lumine suo non diriget, ne turpius erret, ne gravius prolabatur? Huic igitur sine respiro supplicandum est, ut nostri spiritus assiduum gerere curam non desistat: hic perpetuo more vatis Regis interpellandus: “In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum”. Et en Servator noster animam sacratissimam in [i_{4v}] durissimo crucis lecto exhalans exemplo nos incitat suo, ut, qualiter ipse tum aeterno Patri suum commendabat, ita nos assiduo nostrum ipsi spiritum commendemus. Cogitationes, inquam nostras, Animas nostras, Conscientias nostras.

Non sufficiat nobis resipuisse, cognito morbo vitiorum, quibus depressi gemebamus; seriatim poenitentia commissa delicta eluisse, et mores non bonos bene iam emendasse: addenda est fuga aliorum: addenda cura diligens recidivae, ut loquuntur medici, evitandae, ne ad vomitum detestabili vitio canum redeamus, ne daemonis iterum laqueis, quibus Divina gratia sumus explicati, irretiamur. At quis, oro, hoc propria virtute valeat? quis vel summa industria, non adiutus a Christo, non roboratus ab eo, quo sine penitus nihil possumus, nihil? Ergo suspirandum identidem nobis est ad Opitulatorem nostrum Iesum, atque cum summo fervore, quod Ecclesia praescribit, semper ingeminandum: “In manus tuas”, Domine, “commendo spiritum meum: redemisti nos^a, Domine, Deus veritatis” [Ps 30, 6]; ergo “in manus tuas commendo spiritum meum”, quavis hora, quovis in loco, quolibet momento, ac praecipue ex corpore discedentem.

”Custodi me, ut pupillam oculi; sub umbra alarum tuarum protege me” [Ps 16, 8]. Amen.

^a “me” (BSV)

INDEX

Prooemium	7
Tabula abbreviationum et siglorum	17
Dedicatio	21
Ad Lectorem, Facultas Censoris	22
Verbum I: “ <i>Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt</i> ”	23
Verbum II: “ <i>Amen dico tibi: hodie mecum eris in Paradiso</i> ”	33
Verbum III: “ <i>Dixit Matri suae: Mulier, ecce Filius tuus...</i> ”	44
Verbum IV: “ <i>Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?</i> ”	55
Verbum V: “ <i>Sitio</i> ”	63
Verbum VI: “ <i>Consummatum est</i> ”	73
Verbum VII: “ <i>Pater, in manus tuas commendo spiritum meum</i> ”	83